Vilhelmus Kiaulehn

De scaenico
Dialogorum apparatu
capita tria

DE SCAENICO DIALOGORUM APPARATU CAPITA TRIA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

VILHELMUS KIAULEHN

HALENSIS

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT EHRHARDT KARRAS

MCMXIII



De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulit
Carolus Praechter.

Ex Dissertationum philologicarum Halensium vol. XXIII, 2 seorsum expressum.

PARENTIBUS AC SORORI

SACRUM

Argumentum.

Corrigenda.

Legi oportet p. 149, 25 : ornati; p. 161_2 : supra p. 157; p. 228, 26 : *Emerito,*; p. 228, 27 : cal.; p. 233_2 : *ἄγαν*.

Dialogo tantam esse similitudinem cum dramate, ut non solum quasi ex eodem fonte profluxisse videatur, sed etiam ratione, qua postea excultus sit, quodammodo cohaereat cum illo, Hirzel in libro, quem eximia subtilitate ac doctrina de dialogo conscripsit, accuratius ostendit.[1] Ac praecipue dramaticorum, quod dicitur, dialogorum genus[2] aptissime comparari potest cum tragoediis vel comoediis: personae enim ut in scaena inter se loquentes prodeunt, quarum ex verbis nomina, mores, ingenium ipsarum non minus quam cetera, quae opus sunt ad argumentum operis intellegendum, cognoscuntur, neque raro etiam actiones adumbrantur, ut iam antiquitus dialogos in modum fabularum actos esse[3] non mireris. Ut vero inde ab initio fere in theatro pictis parietibus aliisque instrumentis, quo loco ageretur res, illustrabatur, ita dialogorum quoque personae non sermocinantur loco quolibet aut tempore incerto, sed plerumque, ubi et quando conferatur colloquium, scriptores alius magis fuse alio indicant. Huiusmodi ornatum ab ipsa dialogi natura alienum iusto iure scaenicum vocari, quippe quo cuncta fere legenti offerantur, quae spectatori in scaena videre licet, quis est, qui infitietur? Hic quam vario modo ac quibus de causis in dialogis et Graecis et Latinis per saecula[4] adhibitus et qua ratione cum dialogorum argumento sit coniunctus, mihi non indignum esse studio ac labore visum est exponere nec, etsi cum ab aliis tum ab Hirzelio iam nonnulla annotata sunt, spero me operam et oleum perdidisse; quamquam quod volui num consecutus sim, aliorum est iudicium.

---

[1]) Der Dialog I p. 12, 199 ss., 294 ss.

[2]) De quo conferas infra p. 149.

[3]) Cf. Plutarch. quaest. conviv. VII 8, 1.

[4]) Totam antiquitatem mihi propositum est peragrare, quam more usitato medio fere VI saec. p. Chr. n. termino; sed ne commentationem nimiam in longitudinem extendam, de iis solis disseram dialogis, qui proprium vel opus vel opusculum explent, sermonibus, qui aliis scriptorum generibus insunt nec facile cum illis comparari possunt, praetermissis.

Caput I.

Quomodo scaenae sint adhibitae a singulis scriptoribus.

1. De arte scaenica Platonis.

Haud mediocriter dolendum est, quod Alexameni Tei ac Zenonis, qui primi feruntur dialogos scripsisse,[1]) opera aetatem non tulerunt; magnopere enim nostra interesset scire qualis forma atque scaena primis huius generis scriptis fuisset. Nec quicquam certius novimus de Hippiae reliquorumque sophistarum libris hoc modo compositis; nam quod Philostratus (vit. soph. p. 14 Kays.) ab illo dialogum confectum esse tradit, quo Nestor Troiae urbe expugnata praecepta daret Neoptolemo, haud scio an Platonis tantum ex dialogo, qui Hippias maior inscribitur, conclusum sit;[2]) quae vero de Prodico et Critia Hirzel p. 60 ss. 65 s. coniecit, tam dubia sunt, ut nihil valeant ad id, quod nobis proposuimus.

Hoc modo factum est, ut apparatum scaenicum iisdem in dialogis, in quibus primis integer spectari potest, Platonis dico, divinitate quadam summaque iam arte tractatum videamus. Plato, qui tanto erat artis poëticae amore inflammatus, ut adulescens carmina et drama ipse condidisse diceretur, etiam dialogorum argumentum, quod ad philosophiam plerumque pertinens a poëtarum regione multum aberat, et iucundissimo dicendi genere et forma, quae ad summam fabularum similitudinem accedit, exornavit; artificem poëtico ingenio praeditum imprimis in scaenarum usu se praestitit, quo eum, quamquam multi imitati, pauci tamen consecuti sunt.

---

[1]) Cf. Athen. XI p. 505 bc; Diog. L. III 47 s.

[2]) Cf. p. 286 ab.

Dialogorum duo genera ex forma discernuntur, dramaticorum, qui quasi nobis spectatoribus aguntur, ac diegematicorum, quibus aliqua ratione refertur sermo principalis. Platonem hoc genus in prioribus, illud in posterioribus adhibuisse Teichmueller[1]) ex prooemio Theaeteti dialogi coniecerat, cuius sententia quaestionibus de genere dicendi Platonis paulatim commutato habitis revicta est; nec vero Raeder[2]) scriptorem post illum dialogum diegematicos composuisse probabile putavit. Equidem verbis, quae alio modo interpretari conatus sum,[3]) non tantum tribuendum esse arbitror; Platonem potius promiscue utroque genere usum et, ut modo hanc, modo illam formam ad libros admoveret, variis causis, quae nobis non omnes notae sunt, commotum esse sentio. In his non minimi momenti fuerit, quantum scaenae vellet tribuere; nam hac tractanda ambae maxime inter se differunt. Narrante enim aliquo colloquium, cui ipse partem maximam interfuit, cum habitus et actio personarum, tum locus, tempus, cetera uberrime nullo negotio possunt explicari; in dramaticis contra dialogis haec omnia ipsi sermoni inserenda sunt, id quod, si eleganter fit, ut difficilius ita maiore dignum est admiratione. Plato et huius et illius generis exempla singularia posteris prodidit; quomodo in dramaticis ars eius luceat, ut prius explanarem mihi proposui.

Ac primi quidem libri hoc modo conscripti, quibus Plato non tam magistrum ipsum quam rationem eius inquirendi exprimere videtur intendisse, exiliore tantum apparatu scaenico ornata sunt. In *Alcibiade priore* et *Ione* et *Menexeno* dialogis de loco nihil accuratius audimus; Athenis scaenam constitutam esse, quod in *Hippia maiore* (p. 281 a) aperte dicitur, similiter atque in omnibus fere dialogis Platonis vel inde licet cogere, quod Socrates — nisi stipendia meritus nunquam e patria egressus — colloquii particeps inducitur. *Hippiae minoris* autem theatrum ἐν τῷ Φειδοστράτου διδασκαλείῳ cogitandum esse scriptorem ipsum arbitror significare. Cum Hippias enim in

---

[1]) Über die Reihenfolge d. plat. Dial.; Liter. Fehden im viert. Jahrh. v. Chr. II p. 309.

[2]) Plat. philos. Entw. p. 50 s.

[3]) Cf. infr. p. 158.

dialogo maiore (p. 286 b) se tertio die illo loco Eudici commotum precibus non solum de Nestore et Neoptolemo verba facturum, sed etiam ἄλλα πολλὰ καὶ ἄξια ἀκοῆς pronuntiaturum esse dicat, in minore (p. 363 ab) colloquium eodem Eudico auctore iis annectitur, quae Hippias de Homero modo publice disseruit; hanc igitur declamationem eandem esse atque illam, quam unam indixerat sophista, contra Steinhartium[1]) mihi persuasi.

Condicio similis initio *Gorgiae* dialogi conficta est. Nam Socrates et Chaerephon ex foro veniunt, ut intersint Gorgiae orationi in gymnasio aliquo vel porticu, quo ipso loco[2]) illam finem iam cepisse certiores facti cum sophista sermonem instituunt. In *Lachete* pariter, qui sunt participes disceptationis, versari in aliqua palaestra non iniuria inde conclusum est,[3]) quod gladiatorem quendam[4]) paulo ante artis suae spectaculum narratur praebuisse (p. 178 a), ac loco publico eiusdem generis etiam sermonem, qui *Menone* continetur, fieri ex eo colligo, quod Socrati atque Menoni disserentibus, utrum doceri possit virtus necne, Anytus — auscultaturus, puto — assidit,[5]) sed particeps disputationis factus atque ironia Socratis offensus paulo post discedit (p. 89 e; 94 e).

Cum in dialogis adhuc commemoratis de scaena nihil nisi coniciendo explorare potuerimus, in *Euthyphrone* Plato locum magis perspicue notavit. Prope basilicam (p. 2 a περὶ τὴν τοῦ βασιλέως στοάν) conveniunt Socrates et Euthyphro, ille in ius vocatus a Meleto, hic ut patrem de servi nece reum faciat; disputatio de pietate orta ad locum, unde initium capit, bene

---

[1]) Plat. op. vers. I p. 107.

[2]) Cf. L. Paul, Festgruſs d. Kieler Gelehrtenschule an d. 27. Philol.-Vers. p. 19 ss. Cui rato locum non mutatum esse etiam inde apparere, quod in itinere verba paucissima collata essent (p. 32 s.), non assentior. Neque enim videt difficillime in genere dramatico significari posse iter, ut etiam in prooemio Theaeteti p. 143 b, postquam Euclidi domum invitanti Terpsion assensus est, sequentia domi iam Euclidem dicere fingatur.

[3]) Cf. Steinhart. I p. 343.

[4]) Stesilaum nomine? cf. p. 183 c.

[5]) Quod eum iam ab initio quasi in scaena esse Hirz. I p. 221 dicit, nequeo probare; nam si ita erat, cur ei denuo necesse erat explicari, qua de re ageretur?

accommodata est. Artificiosius in *Critone* perpaucis colloquentium verbis quasi oculis subicitur, quantopere admirans Socrates in carcere expergefactus aspiciat Critonem assidentem, qui quamquam multo mane, ut amicum fugere iuberet, venit, tamen verecundia permotus illum e somno excitare noluit. Quae sequuntur de oboedientia legibus servanda ab illis disputata artissime cum scaena iuncta esse dici non opus est.

Longe autem manifestissime etiam in genere dramatico scaenas copiose suaviterque describi posse *Phaedro* demonstratur dialogo, cuius occasio et locus tanta arte exprimuntur, ut tibi non legere sermonem, sed ei interesse videaris. Socrates, ut ex initio cognosci potest, prope urbis portam incidit in Phaedrum, qui orationem quandam Lysiae, quam cum illo communicare concupiscit, sinistra fert sub veste conditam. Locum ab arbitris remotum inquirentes secundum Ilissum progrediuntur, dum de Orithyia, quae a Borea ibi rapta esse fertur, disserunt (p. 229 b ss.). Brevi consistunt sede maxime idonea, quae quanta sit amoenitate, ipsis verbis Socratis mirantis, quoniam magnum faciunt momentum ad commentationem nostram, depingatur (p. 230 bc): *Νὴ τὴν Ἥραν, καλή γε ἡ καταγωγή· ἥ τε γὰρ πλάτανος αὕτη μάλ' ἀμφιλαφής τε καὶ ὑψηλή, τοῦ τε ἄγνου τὸ ὕψος καὶ τὸ σύσκιον πάγκαλον καὶ ὡς ἀκμὴν ἔχει τῆς ἄνθης, ὡς ἂν εὐωδέστατον παρέχοι τὸν τόπον· ἥ τε αὖ πηγὴ χαριεστάτη ὑπὸ τῆς πλατάνου ῥεῖ μάλα ψυχροῦ ὕδατος, ὥστε γε τῷ ποδὶ τεκμήρασθαι· Νυμφῶν τέ τινων καὶ Ἀχελῴου ἱερὸν ἀπὸ τῶν κορῶν τε καὶ ἀγαλμάτων ἔοικεν εἶναι. εἰ δ' αὖ βούλει, τὸ εὔπνουν τοῦ τόπου ὡς ἀγαπητὸν καὶ σφόδρα ἡδύ· θερινόν τε καὶ λιγυρὸν ὑπηχεῖ τῷ τῶν τεττίγων χορῷ. πάντων δὲ κομψότατον τὸ τῆς πόας, ὅτι ἐν ἠρέμα προσάντει ἱκανὴ πέφυκε κατακλινέντι τὴν κεφαλὴν παγκάλως ἔχειν.* — Haec scaena per totum fere dialogum respicitur: Phaedrus iurat per platanum (p. 236 d), cuius in umbra sedent;[1] Socrates cicadis in arbore stridentibus ut fabulam de iis narret, permovetur (p. 258 e ss.) ac quod divino quodam spiritu inflatus verba facere videtur, loco Musis sacro tribuit identidem (p. 238 cd,

---

[1]) Cf. Luc. Vit. auct., in qua (16) Socrates his verbis iuris iurandi uti consuesse dicitur.

241 e, 262 d); easdem Musas invocat de amore capite velato locuturus (p. 237 a) nec, postquam calor aestivi solis praeterita iam hora meridiana (p. 242 a) aliquantulum se fregit, prius in urbem revertuntur, quam loci genios precati sunt (p. 279 bc).

Regione rustica hoc modo suaviter descripta Plato tantam assecutus est admirationem, ut scriptores posteriorum temporum Phaedri scaenam etiam atque etiam imitatione expresserint.[1]) Ac loculo amoeno tam iucunde verbis picto animos legentium re vera hilaritate et tranquillitate quadam affici quis infitietur? — Ut hoc ornamentum adhiberet in dialogis, Plato compluribus exemplis commoveri poterat. Nam cum Homerus, summus omnium Graecorum praeceptor, aliquoties[2]) loca amoenissima natura multis verbis describit, tum Sophron, cuius mimos Plato dicitur dies noctesque lectitasse, huiusmodi ornatum amplexatus erat. Certe Theocritus, qui eum idylliis imitatus est, venuste ac verbose depingit sedes, in quibus pastores suos colloquentes ac certantes facit; quin scaenis nonnullorum carminum ut quinti (v. 31 ss. 45 ss.) atque septimi (v. 131 ss.), cum neque fontes neque frondes neque gramina aut aër odoribus completus aut cicadae desint, idem subesse Sophronicum exemplar atque Phaedri scaenae mihi veri est simillimum.

Exemplo Siculi illius Plato alia quoque in scaena fingenda usus esse mihi videtur. Nam cum *Philebus* et *Cratylus* dialogi, in quibus quasi prius, quam aulaeum missum est, sermo initium cepit, scaenico ornamento prorsus careant — sub finem Cratyli tantum Hermogenem et Cratylum in agros velle progredi commemoratur — in *Legibus* pariter atque in Theocriti idyllio VII (v. 1—130) colloquium a tribus viatoribus confertur, quae convenientia num forte facta sit admodum dubito.[3]) Tres illi Gnoso matutino tempore profecti sunt (p. 811 c), ut antrum Iovis adeant (p. 625 b); aetate iam confecti quia fervore atque aestu diei

---

[1]) Cf. infra cap. II.

[2]) Cf. ε 63 ss., η 112 ss., ι 132 ss.

[3]) Cf. praeterea id. XV, quo — nisi omnia nos fallunt, exemplo Sophronis expresso — ex cubiculo Praxinoae per multitudinem confertam Alexandrinorum festum Adonis celebrantium in aulam regiam legentes ducimur loci commutatione solo prodeuntium colloquio elegantissime significata.

prope solstitialis (p. 683 c) fatigantur, decernunt in itinere interdum locis ad quietem aptis se reficere; talem in sedem opaciorem veluti ipso meridie perveniunt (p. 722 c), ubi de anima disputationem esse habitam, quae quinto toto libro continetur, censeo cogitandum esse. Etiam aliis locis colloquentes iter facere atque dialogi theatrum esse Cretam indicatur (cf. p. 632 e, 685 a, 842 b), sed scaenico ornatui Platonem minus iam minusque operam dedisse, ut etiam plane eum libris posterioribus neglegeret, facillime cognoscis. Id factum esse, quod extremum perpoliendi operis laborem scriptor non adhibuisset, Steinhart (VII p. 111) recte fortasse opinatus est; an senem opere in componendo vim ingenii defecisse vel eum id oblitum esse, quod susceperat, credamus?

Multo commodius ad scaenam illustrandam diegematicum dialogorum genus est, ut supra[1]) vidimus, qua re efficitur, ut nunquam fere hic, quod in dramaticis non raro fit, scaena silentio transeatur. Plato ad hoc quoque genus excolendum magnam diligentiam consumpsit. Primo induxit Socratem narrantem eo ipso veritatem imitans, quod ille tradere sermones ipse consuevisse dicitur;[2]) postea, cum ex aliorum ore melius effingere magistrum vellet, aliis quoque referendi partes assignavit. Proprium eius id est, ut ita soleat inducere narrantes, ut non legentibus, sed iis, qui simul in scaena versantur vel, si minus loquuntur neque appellantur, tamen in scaena esse putandi sunt,[3]) colloquium referatur. Quo fit, ut etiam hi dialogi proprie dramatici vocari possint atque duae scaenae, sermonis quasi coram nobis instituti (= A) et enarrata disputationis principalis (= B), nobis offerantur; quas si accuratius contuemur, illam (A) magis magisque a scriptore amplificatam esse facile intellegimus.

---

[1]) p. 149.

[2]) Cf. Hirzel. I p. 130.

[3]) Nam sermonem si scriptor ipse narrat neque ullo modo, qui audiant, significantur, legentibus narrari patet; sin alium scriptor inducit referentem, ponendos esse, quibus referat praesentibus, mihi per se videtur apparere, quanto magis in dialogis Platonis Socrate narrante, cui perquam usitatum fuisse hunc morem colloquendi modo audivimus! Cf. etiam, quae de Politia infra p. 159 disserentur, et M. Pohlenz, Aus Platos Werdezeit p. 1 ss., qui liber mihi hanc commentationem typis exscribendam curanti demum in manus devenit.

Forma simplicissima est *Lysidi* ac *Charmidi*, in quibus praeter Socratem narrantem nemo verba faciat; iidem, quod attinet ad scaenam alteram, simillimi inveniuntur. In *Lyside* in Micci ducimur palaestram, cuius ante portam prope Panopis fontem sitam Socrates ex Academia sub urbis moenia in Lyceum tendens in aliquot amicos incucurrit (p. 203 a ss.); pueri ac iuvenes ornati propter Mercuriale festum illic sacrificiis paene iam perfectis et sub divo et in apodyterio alea se oblectant; postquam Socrates in angulo consedit, extemplo eum circumsistunt audiendi cupidi, in quibus Lysis et Menexenus (p. 206 e ss.). Qui cum paulo post ad sacrificium vocetur (p. 207 d), cum Lyside fit prima inquisitio; sed brevi ille redit atque omnes naturam amicitiae definire student, cum paedagogi vino onerati neque ullo modo, ut moram praeberent, exorati adulescentes ambos domum cum fratribus ducentes — iam multa enim dies erat — finem colloquio imponunt (p. 223 ab). Ita Platonem paucis lineamentis imaginem festivam quasi media e vita sumptam arte summa reddidisse quis neget? Ac quoniam in palaestris saepe Graecorum amicitias iunctas esse scimus, quin res tractata optime conveniat cum loco quis dubitet? — Item in *Charmide* scaenam Plato constituit in palaestra, Taureae videlicet, quae ex adverso sita est basilicae. Hic postquam Socrates, qui pridie ex proelio apud Potidaeam facto rediit, amicis sciscitantibus de bello satisfecit, consessus pari modo fit, in quo quantopere se omnes premant circa Charmidem, adulescentem summa pulchritudine insignem, iculariter narratur. Se non minus iuvenili forma fuisse inflammatum Socrates sodali, quocum loquitur, fatetur (p. 155 de), ut hoc ex loco maxime intellegas, quam multo manifestior fiat relatio, si is, qui refert, non modo quid dictum atque factum sit, sed etiam ipse quid tum senserit, denudat.

In *Euthydemo* colloquium a Socrate relatum sermo antegreditur, quem loco non notato ille habet cum Critone, qui quod ipse adstans propter turbam hominum non multa pridie excepit, disputationem et participes perquirit. Hoc modo comperimus Socratem in apodyterio Lycei daemonio suo retentum ac Cliniam Ctesippumque, qui postea assederunt, ridiculose de verbis certavisse cum Euthydemo atque Dionysodoro, quorum calliditatem non modo catervam sectatorum, sed etiam Lycei

paene columnas cum tumultu admiratas esse per iocum additur (p. 303 b).

Similiter in *Protagora*, quae modo cum sophista illo egerit, sodalibus nonnullis Socrates enarrat; quod fieri in palaestra vel gymnasio, cum puer sede excitetur, ut illi considendi facultatem faciat (p. 310 a), nihil impedit quominus reamur. Narratio ipsa tanto est ornata apparatu scaenico, ut nullum fere reliquorum operum Platonis eam adaequet. Res agitur initio domi Socratis, quo iam ante lucem nuntians Protagoram in urbem advenisse Hippocrates irrupit. Tantae tenebrae sunt etiam in cubiculo, ut nisi contrectando non possit scamnum, quo considat, reperire (p. 310 c), ac quamquam summo studio Protagorae visendi ardet, tamen cum Socrate, a quo ad illum introduci vult, tempus conterere spatiando, quoad lucescat, in cavaedio cogitur (p. 311 a). Sic postquam expositio rerum data est, mutata scaena ducimur ad Calliae portam, ubi ianitor, quo est incensus odio in sophistas domini rem familiarem minuentes, auctor fit morae iocosissime narratae (p. 314 c ss.). Quae vero oculis intromissorum offerantur, quo pacto Protagoras in porticu corona magna circumdatus, quae verecunde se diffindat in vertendo, ambulet, cum Hippias in contraria porticu ex sella audientes doceat et Prodicus in lecto iacens gravi voce impleat cubiculum suum, ita lepore quodam et facetiis sunt expressa, ut ea cernere ac paene tangere videaris (p. 314 e ss.). Socrate auctore sedilibus ad Hippiam comportatis consessus fit; ex quo ille certamine exorto, ut abstinere longis orationibus cogat Protagoram, se abiturum esse simulat, sed veste a Callia retinetur (p. 335 cd); re proposita ad finem quendam denique adducta consensu omnium disceditur.

Symposium Platonis ab Apollodoro, qui non ipse convivio interfuit, sed tantum ab Aristodemo de eo certior factus est, ignoto loco familiaribus quibusdam renarratur. Hoc modo, cum praeterea fingatur (p. 172 c s.) non paucos annos iam exactos esse, ex quo Agatho amicos hospitio excepisset, nimiam fidem relationi non habendam ésse ipse indicare scriptor mihi videtur voluisse. Ceterum hoc dialogo artificem mirandum ea re se praestitit, quod sapienter modum tenuit in scaena describenda. Convivium agi domi Agathonis, qui primum vicerit tragoedia, postridie quam a maiore multitudine victoria iam celebrata sit,

resciscimus (p. 173 a); perpaucis autem cena, libatio, hymnus absolvuntur atque tibicina, ubi intravit, ilico dimittitur (p. 176 a, e). Quidquid scaenici ornatus adhibetur, ad illustrandum Socratem accommodatum est; imprimis Alcibiades, qui convivarum orationibus finitis ebrius cum aliis invadit (p. 212 c ss.), non inducitur nisi ut laudes Socratis ad astra tollat, neque alia de causa, quemadmodum philosophus etiam bibendo omnes superaverit, ut mane reliquis somno oppressis integer abiret, summa cum colorum venustate depingitur (p. 223 cd). Convivium dialogo [1]) Platonem primum implicasse magis magisque viri docti inter se consentiunt; et quid est magis consentaneum quam illum, qui scaenarum tanta usus est varietate, hoc quoque genus excogitavisse? [2]) Symposium eius magnam incohare seriem huiusmodi librorum, quibus exemplum multis modis variatur, commentatione progrediente apparebit.

Studio memoriae magistri celebrandae etiam id videtur tribuendum esse, quod tribus in dialogis, *Phaedone* et *Parmenide* et *Theaeteto*, colloquia cum Socrate collata non Athenis, sed alio loco referuntur; Plato enim sic gloriam et disciplinam viri sapientissimi brevi egressam esse fines Atticae monstravit. Phliunte *Phaedo*, quem cum plurimis Socraticorum post mortem Socratis Athenas reliquisse opinari licet, dialogo ab eius nomine appellato diem supremum Socratis Echecrati narrat Phliasio. Controversia non est, quin haec narratio cum tragoedia acute comparata [3]) in summa omnium admiratione semper iure fuerit. Tragoediae in modum totum diei spatium ea continetur. Iam prima luce

---

[1]) Quod Io Chius ἐν ταῖς ἐπιγραφομέναις ἐπιδημίαις (Athen. 13 p. 603 e ss.) in convivio a Sophocle dictum factumque refert, minus dialogi quam narratiunculae nomine dignum est.

[2]) De iis, qui Antisthenis exemplum aliquod Platonem respexisse censent, cf. Wilamowitz, Die griech. Litt. des Altert. (Kultur d. Gegenw.)[3] p. 131; Platonem ante Xenophontem convivium conscripsisse indicant quicumque ultimi de hac re quaesiverunt: A. Graef, Ist Platons oder Xenophons Symposium das frühere? Progr. Aschaffenburg. 1898; J. Bruns, Neue Jahrb. f. d. kl. Alt. 3 (1900) p. 26 ss.; G. Fahnberg, De Xenophonte Platonis imitatore, Progr. Bergedorf. 1900; Fr. Ullrich, Entstehung und Entwickelg. d. Literaturgattg. des Symposion, Progr. Novi Gymn. Virceburg. 1908/9; cf. Christ-Schmid, Gr. L. I[6] p. 512; M. Pohlenz, Aus Platos Werdezeit p. 394 ss.

[3]) a Steinhart. IV p. 411.

aliis cum amicis ante carcerem se convenisse, sed se non prius esse intromissos, quam supplicium Socrati ab undecimviris indictum esset, Phaedo refert (p. 59 de); ut cum intrantibus colloqueretur, a magistro Xanthippam tum atque filiolum valere iussos esse. Insigni quadam arte sermo deinde institutus cum scaena atque condicione conectitur; initio a pedicarum solutione capto (p. 60 b) quaestio, cum posteriora semper prioribus artificiose adiungantur, ad immortalitatem animae tractandam ducitur. Quodcumque agitur et dicitur, ad Socratis custodiam refertur instantemque mortem et dialogi extrema pars, qua quomodo propinquos et amicos iubeat valere et sole occidente poculum exhauriat mortiferum narratur, re vera dramatis supremo actui conferri potest.

Ubi ac coram quibus referatur qui *Parmenides* inscribitur dialogus, Plato parum adumbravit. Athenis id fieri non posse verborum e contextu liquet, qua re motus Immisch[1]) de Ionia cogitat, quod Clazomenius quidam Cephalus narrans inducitur. Cuius ad aures sermo principalis ratione valde contorta permanavit; Athenis enim certior factus est ab Antiphonte, qui ipse a Pythodoro quondam colloquium accepit. Hoc in domo Pythodori in Ceramico sita, quo Parmenides ac Zeno deverterunt, ante multos annos festo Panathenaeorum die Socrate auctore institutum est, postquam, dum a Zenone liber legitur, Parmenides et Pythodorus aliique intraverunt. Scaenae ulterius non fit commemoratio, quod ex scriptoris senectute, qua minus formam operum curaret, repetendum esse cum plurimis mihi persuasi. Eberzio enim, qui — novo interpretationis genere invento — Platonem effingentem scientibus sessionem seminarii Academici scaenam neglegere potuisse putat,[2]) nequeo assentiri; nam quod Platonem induisse Parmenidis personam, Zenonis Dionem, Socratis Speusippum conicit, cur, si circulo familiarium tantummodo dialogum Plato conscripsit, non veris usus est nominibus? Ac cur in aliis dialogis non eadem iisdem nomina imposuit?[3]) Quamquam, ne singula cum vero convenire arbitremur, renarratione triplici ac spatio temporis praeteriti monemur, tamen nihil — ne

[1]) Neue Jahrb. f. d. kl. Alt. 2 (1899) p. 624.
[2]) Cf. Arch. f. Gesch. d. Philos. 20 (N. F. 13) (1907) p. 81 ss.
[3]) Cf. infra p. 161_2.

in temporum quidem ratione — est, quod fieri potuisse, ut a Socrate Parmenideque haberetur colloquium, non opinemur.[1])

Initio *Theaeteti* denique ponimur Megaris, ubi Euclides atque Terpsion de Theaeteto colloquuntur, quem proelio ad Corinthum facto vulneratum et Athenas contendentem ille aliquantum viae comitatus est (p. 142 a). Euclides meminit sermonis a Socrate cum Theaeteto adulescente instituti, quem ut communicet cum socio item rure redeunte atque fesso, domum se cum illo confert; huc ubi advenerunt, servum iubet legere colloquium, quod partim ex ipso Socrate quaesitum litteris mandavit (p. 143 bc). Disputatio hoc modo perscripta rursus in palaestra acta est, nam reperimus Theaetetum cum aequalibus in porticu exteriore unctum esse, cum Socrates et Theodorus eum advocarent (p. 144 c). Priusquam ipse prodeat, adulescentis facies verbis Theodori nobis pingitur (p. 143 e) et cetera quoque omnia ita sunt comparata, ut quae litteris Euclides consignasse dicitur, integrum existimare possis dialogum dramaticum. Nec spero in errore me versari, si reapse initio Platonem in modum generis dramatici composuisse Theaetetum dialogum — iam saec. II interpreti non nominato idem visum est: Berliner Klassikertexte II (1905) col. 3, 28 ss. — atque posterius demum referendum Euclidi, cui hoc modo libellum dedicaret, tribuisse pono; ad hoc ne forma dialogi sibi mutanda neve imprimis illud καὶ ἐγὼ ἔφην ac similia etiam atque etiam essent inserenda, sermonem ab Euclide recta oratione conscriptum esse argutissime — ut censeo — confinxit. Haec mea sententia[2]) mihi tam certa facta est, ut nihil omnino de eo, num Plato diegematicos dialogos etiam post Theaetetum scripserit, quod Teichmueller et Raeder aliique si non plane negaverunt, at certe verisimile non rati sunt,[3]) ex illo loco posse colligi contendam.

Colloquium Euclidis atque Terpsionis postea adiunctum esse inde quoque mihi videtur apparere, quod Theaeteto *Sophista* et *Politicus* dialogi annexi sunt ratione illius exordii haudquaquam habita. Nam cum in extremo Theaeteto Socrates decedens in

---

[1]) Cf. Hirzel. I p. 186_2.

[2]) Haud scio an Eberz (Arch. f. Gesch. d. Philos. 22 [n. s. 15] [1909] p. 490) simile quid opinetur.

[3]) Cf. supra p. 149; C. Ritter, Plat. p. 221 s.

basilicam, ut contra Meletum ibi causam dicat, postridie mane omnes rursus in eundem locum disputandi causa conventuros esse pronuntiet, initio Sophistae hoc factum esse fingitur adhibitoque hospite quodam Eleatico confestim collocutio incohatur ac sine ulla intermissione etiam per totum Politicum continuatur. Ambo igitur dialogi tam arte cum Theaeteto copulati sunt, ut aeque atque ille ex Euclidis scripto legi videantur. Hoc autem sumere non licet, quoniam Euclides numerans participes colloquii a se conscripti (p. 143 b) Eleatam, quamquam primas partes agit in Sophista et Politico, omittit. Quae cum ita sint, Platonem aut neglecto initio Theaeteti dialogos indiligenter conexuisse aut exordium illud primo, quem mitteret Euclidi, praeposuisse postquam omnes tres perfecti vel certe exarati essent — fortasse libro iterum edendo — statuendum est; illud mihi quidem minus probari fateor.

Aliam quoque trilogiam Plato scaena colligans *Rempublicam Timaeum Critiam* composuit. Quod enim in Timaeo Socrates se pridie de re publica verba fecisse dicit (p. 17 c), spectare ad Politiam, qua sermonem festo Bendidis a se cum aliis de civitate optima instituenda habitum narravit, contra Hirzelium,[1]) Eberzium,[2]) alios censeo. Namque colloquium Timaei, cum biduo post illud Bendidium die sollemni aliquo Minervae (p. 21 a, 26 e) fieri fingatur, sive Proclum[3]) sequimur, quo teste minora Panathenaea excipiunt Bendidia, sive cum Steinhartio (IV p. 43) Plynteria dici opinamur, Platonem Reipublicae annectere voluisse non est cur non putemus. Narrari igitur disputationem, quae *Politia* continetur, Timaeo Critiae Hermocrati quartoque non nominato ex Timaeo dialogo licet colligere: Socrates pompa Thracidicae deae spectata cum Glaucone in urbem Piraeo redeuntem a Polemarcho se retentum esse refert (p. 327 a ss.), cuius in domo coram parvo coetu in sermonem deinde de iustitia ingressus sit. Primum sibi oblocutum esse Polemarchi patrem, Cephalum, qui coronatus propter sacrificium fuerit; quem ad sacrum brevi revertentem reliquisse filium colloquii heredem (p. 331 d), vehe-

---

[1]) l. c. I p. 256.

[2]) Philolog. 69 (n. s. 23) (1910) p. 47.

[3]) Comm. in Plat. Remp. p. 18 s. Kroll.

mentissime autem se impugnatum esse a Thrasymacho. Haec disputatio et quae sequitur de fundamentis rei publicae eximia cum alacritate describitur, sed scaenae, praeterquam quod legentes semel temporis aestivi (p. 350 d) et sollemnis (p. 354 a), quo disputatur, admonentur, non iam mentio fit, ut libri reliqui absentia omnis ornamenti extrinsecus invecti distincte differant a primo. Qui cum praeterea ratione quadam in se versari videatur, non defuerunt, qui hanc partem operis initio solam esse editam existimarent,[1]) in quibus Constantinus Ritter (Plato I p. 277 s.) nuntium a Gellio N. A. 14, 3 de hac re traditum sagaciter interpretatus conatus est fulcire. Mihi veri similius est Platonem de iustitia dialogum, qui ferme primo libro Politiae par erat, iam multo prius conscripsisse — quod etiam quaestionibus de commutato genere dicendi Platonis habitis probatur[2]) — sed ineditum postea retractasse et in tantum, quantum nunc est, volumen exaedificasse.[3])

Timaeum atque *Critiam* cum Republica coniunctos esse supra commemoravi: Amici, qui audiverant Socratis narrationem, postridie eum similibus oblectamentis affecturi sunt, sed quartus imbecillitate correptus abest neque Hermocrati potestas conferendi stipem datur, ut nihil nisi Timaei orationem partemque Critiae fabulae ad finem non perductae audiamus. Quo convenerint utroque die circuli consortes, nusquam editur; Eberz[4]) Platoni locum aeque atque in Sophista, Politico Parmenideque denotandum non fuisse censet, quoniam rem vere in Academia[5]) gestam nominibus tantummodo mutatis depingi nemo ignorasset. Quam opinionem, quamvis probabiliter nonnulla exponantur, nihilo setius dubito amplecti; etiamsi enim maxime posteriorum

---

[1]) Cf. C. Fr. Hermann, Gesch. u. Syst. d. plat. Phil. p. 537 ss.

[2]) Cf. W. Janell, Jahrb. f. kl. Phil. suppl. 26 (1901) p. 267, 269 ss.; Lutosławski, The origin and growth of Platos logic p. 285, 319 ss.; J. v. Arnim, Sprachl. Forschgn. z. Chronol. der plat. Dialoge p. 223, 230.

[3]) Cf. etiam, quae M. Pohlenz (Aus Platos Werdezeit p. 207 ss.) de priore Politiae editione suspicatur.

[4]) Philol. 69 (n. s. 23) (1910) p. 40 ss.

[5]) Verbo θέατρον in Critia bis (p. 108 bd) adhibito Academiae sodales significari vult l. l. p. 41. Sed quid nos cogit credere alios ac Socratem duosque reliquos, qui audientes inducuntur, illa voce declarari?

dialogorum personis Plato suas sententias saepe et aequalium subicere concedimus, attamen longius illum progredi, qui omnia et singula interdum nimis argute revocet ad Academicos, existimo. Nam, ut exemplum afferam, quis Theaeteti extremis verbis significari iter tertium in Siciliam Platoni faciendum[1]) sibi persuaserit? Plato quin, quidquid suae condicionis ac suarum rerum scriptis voluit tractare, ad Socratis personam et aetatem accommodaverit, sed singularum rerum convenientiam nimia diligentia non curaverit, mihi non dubium est. —

Libris, quos genuinos esse inter omnes fere nunc convenit, perlustratis tempus est paucis complecti, qua ratione Plato usus sit in scaenis adhibendis. Omnibus in dialogis exceptis Legibus magistrum aut cum adversariis aut cum amicis fecit colloquentem neque destitit hac consuetudine, cum iam de rebus alienissimis a Socrate dissereret; in ultimo demum dialogo in eius locum Atheniensem quendam, quem scriptorem ipsum existimandum esse recte, puto, viri docti suspicati sunt, substituit. Num nomina omnium, quibus in scriptis suis Plato partes aliquas attribuit, historiae fide comprobentur, praesidiis nostrae doctrinae decerni nequit; sed talia eum finxisse veri dissimile videtur, quod aliter hospiti quoque Eleatico facillime poterat nomen invenire. Neque in posterioribus dialogis nominibus aut Socratis aut reliquorum Platonicos in schola ita appellatos dici ut opiner cum Eberzio, quoniam parum sibi constat,[2]) a me impetrare possum, sed malo omnia ab illo ita instituta esse, ut re vera vivo Socrate fieri poterant.

Sermonum ex personis locus quoque pendet. Disputationes a Platone proditas, cum praeter unam omnibus intersit Socrates, Athenis fieri par esse memoravi.[3]) Ter loco extra fines Athenarum vel potius Atticae sito colloquium narratur[4]) atque in Legibus,

---

[1]) Cf. Arch. f. Gesch. d. Philos. 22 (n. s. 15) (1909) p. 474 s.

[2]) Platonem nunc sub Socratis (cf. Philol. 69 p. 40 ss.), nunc sub Parmenidis (cf. supra p. 20), quin in Sophista simul et sub Eleatae et sub Socratis persona latere (cf. Arch. f. Gesch. d. Ph. 22 p. 456 ss.) sibi persuasit.

[3]) Cf. supra p. 149.

[4]) Cf. supra p. 156 ss.

in quibus plane Socratis auctoritate se levavit, omnino scaena Cretae constituta est, ubi coloniam novis illis institutis instruendam conditum iri finxit. Non pauci dialogi in aliqua palaestra vel gymnasio collocantur, ubi, quod eo multi homines coirent, Socratem imprimis versari consuevisse etiam Xenophon (Memor. I 1, 10) memoriae prodidit, alii in domibus privatis et urbis et Piraei; modo spatiamur ad basilicam vel ante portas ad Ilissum, modo in carcere versamur, qua scaenarum varietate non solum vitam atque mortem Socratis, quod Plato animo intendit, sed etiam Atheniensium illorum temporum cultum humanum civilemque iucundissime cognoscimus.

Etiam tempus, quo Platonicos sermones esse habitos oportet cogitare, aetate Socratis finitur. Viri docti, qui singula colloquia subtilius definire voluerunt, magnis difficultatibus sunt implicati; nam multa, quibus nixi sunt in coniectando, in controversiam cadunt ac nonnunquam a Platone ipso minime temporum ordinem servatum esse patet.[1]) Qua de causa illorum coniecturas examinare vel augere mihi non est sententia. Platoni, qui non res gestas tradere, sed exornare vellet dialogos, poëtae more, quae ratione temporum dirempta erant, iungere et, ut facetius aliquid significaret, peccare in ordinem annorum licuisse cum Steinhartio[2]) et Sauppeio[3]) iudico. Ad summam scaenas, etsi aliquoties eis velut in Symposio veri quid accepti auditione subiectum est, magna ex parte a Platone partas esse recte sumas.

Quodsi quaeris quid Plato ornamento scaenico usus spectaverit, sententiae valde discrepant. Alii dialogis hoc modo speciem veri induere, alii legentes ea venustate allectos ad philosophiae studium perducere eum cogitavisse censent, immo vero Munk[4]) Platonem totam fere vitam Socratis scaenis adumbrantem significare, quo ordine dialogi legendi essent, animo intendisse ratus est. Solo ingenio poëtico impulsum eum decus illud scriptis adiecisse atque singulorum dialogorum fini et con-

---

[1]) Wilamowitz hoc negavit (Herm. 32 p. 102_1), sed promissa argumenta adhuc nondum attulit. Cf. E. Zeller, Abhandlgn. d. Berl. Ak. Philos.-hist. Kl. 1873 p. 79ss. (Kl. Schriften I p. 115ss.)

[2]) l. c. I p. 427.

[3]) In interpretatione Protagorae Berol. 1884 p. 10.

[4]) Die natürliche Ordnung d. plat. Schr. p. 25ss.

silio aptasse ego arbitror; exempli gratia proferantur Protagoras Symposiumque, quorum in altero sophistis illudendis, illustrando Socrati in altero cum omnia tum adventicia illa adiumenta serviunt; ubi potissimum id egit, ut legentes edoceret — velut in Cratylo — aridior est forma. In primis, quibus — velut Ione — Socraticam philosophandi rationem maxime vellet exponere, non ita magni fecit scaenicum ornatum, sed tamen hic quoque imprimis in personis exprimendis eius ingenium elucet. Magis magisque autem ars eius decorandi materiam effloruit ac cumulata est in Phaedro, Protagora, Convivio, Phaedone, in quibus scaena atque argumentum miro quodam modo copulata ac conexa sunt. Seni iam non curae fuisse librorum speciem vel ex eo liquet, quod suam cuique scaenam fingere colloquio non pretium operae ducens eandem pluribus[1]) attribuit.

Restat ut eos contemplemur dialogos, qui quamquam nomini Platonis addicuntur, tamen aliqua de causa dubii videntur aut illius esse omnino non putantur. Plurimi eorum etiam scaenica institutione sollertia Platonis digni non reperiuntur.

Minos, Hipparchus, de virtute, de iustitia dialogi et loci significatione plane carent nec nomen eius, quocum Socrates colloquitur, in medium proferunt, quin etiam in *Demodoco* ne is quidem, qui solus prodit verba faciens, nominatur. Nec minus deest scaena *Clitophonti*; sed hos cum propter Socratis personam omnes Demodoco excepto agi Athenis cogitari possit, illum philosophum Pharsali esse contra fidem rerum[2]) credere nos cogit is, qui *Sisyphum* conscripsit; Sisyphum enim pridie ad constitutum non venisse, quod Pharsaliorum interesse consilio debuisset, comperimus (p. 387 b).

Epinomis personis colloquentium Legibus adiuncta est, ut Creta eius quoque sit theatrum. Contra dialogorum, qui ex *Alcibiade* nomen ceperunt, alter compositione mihi similis videtur esse Euthyphroni; nam in utroque adulescens, postquam melius id cognovit, quod facturus erat, ut retro iter vertat prope

---

[1]) Velut Theaet. B, Soph., Polit. ac Reipubl. A, Tim., Crit.; cf. supra p. 158 ss. (Quid notis A et B significetur, vide supra p. 153.)

[2]) Cf. supr. p. 149; Steinhart. VIII 235 s.

petitum locum a Socrate movetur.[1]) Quod Alcibiadem coronam, qua instructus erat in templo sacrificaturus, Socrati imponere, u ei gratiam referat, dialogo extremo fingitur, forsitan ex Convivio (p. 213 e) depromptum sit.

Theagis scaena in porticu Iovis liberatoris collocatur (p. 121 a) nec multum abest a Platonis more. Nam iter illum in locum a sermonis participibus silentio fieri, quod a Steinhartio (VI p. 442) reprehenditur, in Theaeteto quoque animadvertimus;[2]) iure vero idem rem et locum nihil cohaerentes notat.

Magis iam scaenam argumento nectere in *Eryxia* temptatur. In eadem enim Iovis porticu Socrates et Eryxias ambulant, quibus brevi accedunt Critias et Erasistratus; hic quod de via languet — pridie in urbem Megaris advenit — omnes iubet considere et incipit narrare de Syracusanis, cum horum legati Athenas missi casu praetereunt. Ex quibus unus ut homo Siculorum et Italorum omnium ditissimus disputationis quasi ansam praebet (p. 392 a ss.); haec de divitiis habita a Socrate refertur, qua re imprimis iracundia et obstinatio Eryxiae optime potuit exponi.

Itidem *Anterastae* et Axiochus, in quibus scaena pluribus depingitur, diegematici sunt generis. Socrates illo dialogo in Dionysii ludo litterarum se duos pueros describere circulos, inclinationes quasdam imitari manibus alioque modo de astronomia certare vidisse[3]) ac cum amatoribus eorum, qui fuerint in spectatorum numero, inter se dissimillimis de philosophia sermonem orsum esse narrat. Maxime vero *Axiochus* locorum accurata notatione excellit, ut ab Atheniensi quodam opus confectum esse augureris. Rursus Socrates narrans inducitur; in Cynosarges incedentem prope Callirrhoam a Clinia se imploratum esse ait, ut patrem eius Axiochum morbo gravissimo affectum timore mortis liberaret (p. 364 b ss.). Secundum murum ad Itonias portas,

---

[1]) Cf. Alcib. II p. 151 a; Euthyphr. p. 15 de.

[2]) Cf. supra p. 150_2.

[3]) Scaena similis — si ea comprobas, quae conicit H. Dittmar, Aeschines v. Sphettos (Philologische Untersuchgn. XXI) p. 79 s. — inerat Cyro Antisthenis dialogo; in quo ex viris *ἐν ταῖς παλαίστραις καὶ τοῖς ἡμικυκλίοις* sedentibus ac formam Siciliae et situm Africae Carthaginisque adumbrantibus sermonem Socratis et Alcibiadis de regno motum esse ille non veri dissimile existimat.

ubi prope Amazonis statuam illius domus sit, se properasse cum comitibus, sed eum corpore iam confirmatum invenisse ac postquam verbis suis animum quoque corroborasset, in Cynosarges ire perrexisse. Scriptor quin Lysidem initio imitatus sit, quo libro aeque Socrates inducitur extra moenia urbis prope fontem quendam in gymnasium aliquod contendens,[1] non dubito; at exemplum quam non adaequavit! Apud Platonem scaenae nihil facile omitti potest; ex ea non modo occasio sermonis proficiscitur, sed totum argumentum ea implicatum est; imitatoris in dialogo subtilis viae explicatio rei, quam non respicit, tamquam vili vesti pannus purpureus affixus est.

2. De dialogis inde ab aetate Platonis ad Ciceronis tempora conscriptis.

Librorum Xenophontis quoque magna pars ad effingendum Socratem conscripta est. Quo melius exprimeret eius imaginem, Memorabilia, quae dicuntur, et ipsa brevibus colloquiis distinxit et eis Convivium et Oeconomicum annexuit, quibus non imum locum inter eos, qui dialogos composuerunt, obtinet. *Symposium* imprimis tanto lepore ac nitore praeter cetera illius scripta eminet, ut nonnulli librum abiudicaverint a Xenophonte. Magnis Panathenaeis convivium se praesente in Piraea domo a Callia apparatum esse, ut Autolycum pancratii victorem honoraret, refert et id legentibus, qua re non leviter cum Platone discrepat;[2] praeterea convivae exsistunt Socrates et Critobulus Charmides aliique sectatores eius, qui certamen equorum item inspectantes a filio Hipponici invitati sunt (I 2 ss.). Etiam a Xenophonte epulae breviter perstringuntur, plurimis autem ioca scurrae inter cenam irruentis (I 11 ss.) et artificia gregis a Syracusano quodam inducti describuntur; cum saltatrix trochos plus decem sursum proiciat proiectosque saltans captet, Socrate auctore de pari generis virilis et muliebris ingenio atque indole disseritur (II 8 ss.); cum illa in circulum gladiis circumclusum praeceps ruerit, de

[1]) Cf. supr. p. 154; H. Gomperz (Sophistik u. Rhetor. p. 107) ea sola re commotus, quod in utroque opere Socratem a quodam inclamari fingitur, Rempubl. Plat. spectatam esse censet.

[2]) Cf. supra p. 153.

eo, num doceri possit fortitudo, sermo movetur (II 11 ss.) similique modo alio usque transfertur. Confabulantur sodales et inter se ludificantur; ut tumultum sedet, Socrates canere incipit (VII 1), sub finem demum ab eodem continua oratio de amore editur (VIII); mimo a puero formoso atque saltatrice acto cum alii conscensis equis domum tendant, reliqui deambulatum exeant, finitur comissatio.

Quam contraria Xenophontis in Symposio scaenae tractatio sit Platonicae intellegis. Academiae princeps, qui vim summam orationibus tribueret, has quasi gemmam auro tantummodo inclusit ornamento e specie ac splendore convivii decerpto; Xenophon ut rerum scriptor ex vero magis cuncta fingens his delectationibus tantum attribuit, ut — funda nimis fere obscurante et offundente lapidem — ex eius scripto, quomodo Graeci Socratis aetate convivati sint, certissime discamus. Omnino Xenophon Symposium Platonis — maxime Socrate in exprimendo — corrigere mihi videtur voluisse — nam eum, qui ad omnes fere libros suos componendos similibus exemplis concitatus est,[1]) illius opus aemulatum esse mihi persuasi — nec scio an convivium, quo de amore Socrates vere videtur disputasse, in Calliae domo vero convenientius collocaverit; maioris fidei id saltem documentum puto, quod ad temporum rationem omnia tam congruenter sunt attemperata, ut certus annus (422) illi conventui non difficulter posset expediri.[2])

Multo tenuius instruxit Xenophon dialogum, qui *Oeconomicus* inscribitur. Athenis[3]) loco non indicato postquam multa de re domestica et agricultura disputata sunt, Socrates Critobulo aliisque (III 1), in quibus ipsum se fuisse scriptor asseverat, sermonem cum Ischomacho, egregio dispensatoris exemplo, aliquando de iisdem rebus institutum refert; se repperisse illum in Iovis liberatoris porticu[4]) sedentem atque hospites nonnullos exspectantem, qui in concilium abissent (cf. VII 1 s.; XII 1);

---

[1]) Cf. Fahnberg (v. supr. p. 156_2) p. 5.

[2]) Cf. Ullrich (v. supr. p. 156_2) I p. 40.

[3]) Cf. II 6; supra p. 149.

[4]) Non puto casu ita evenisse, ut Theagi Eryxiae Oeconomico eadem scaena attribueretur, sed quo in libro primum sit adhibita, non audeo diiudicare.

statim se assedisse et in sermonem cum illo se dedisse, in quo ad rem rusticam delapso exempla agri umidi et sicci ex locis urbi proximis petuntur (XIX 6). Et in Symposio et in Oeconomico non pauca scriptorem subiecisse Socrati, quae ipse dicere in animo habebat, perspicuum est; ut ille, etiam hic dialogus a Xenophonte ipso legentibus narratur.

Plane, ut ita dicam, historico referendi genere in *Hierone* usus est. Simonidem poëtam quondam ad Hieronem pervenisse et cum eo de tyrannide disseruisse fingit, ut Syracusis esse habitum sermonem credere oporteat. Sed nihil nobis memoriam huius theatri affert, et quae verba faciunt personae, fieri cum quolibet tyranno quovis loco possunt. Xenophon igitur Platonica exempla non inepte variavit, inventio autem et excogitatio scaenarum ei videtur defuisse.

Dialogorum, quos Diogenes Laërtius perhibet a reliquis Socraticis confectos, plurimos aetatem Socratis resipere ipsis ex inscriptionibus apparet; cf. *Critonem, Aeschinem, Phoenicem* (Hirz. I p. 110_3), *Alcibiadem*, qui ab Euclide, *Euripidem, Cephalum, Aristophanem, Menexenum*, qui a Glaucone traduntur scripti esse (Diog. L. II 108, 124), alios. Imprimis Aeschines magistrum effinxisse atque expressisse dicitur, quem ut gestum habitumque personarum manifeste oculis subiecit,[1] ita ne scaenam quidem neglexisse reliquiis probari puto, quas Demetrius[2] et Priscianus[3] servaverunt. Non mirum igitur, quod ex sermonibus Platoni subditis ii, quibus scaena uberius tractatur, Eryxias et Axiochus, Aeschinis esse putabantur; ex his et iis, quae de *Alcibiade* atque *Telauge* dialogis illius scimus,[4] si liceat concludere, verba infra allata quoque Socratis esse existimes. Alios secus Socratem non induxisse, sed memoriam pristinorum temporum repetivisse Hirzel (I p. 109 s.) ostendere

---

[1]) Inspicias quaeso ea, quae Hirzel I p. 132_1, 139_1 collegit.

[2]) De elocutione 205: *ἐκαθήμεθα μὲν ἐπὶ τῶν θάκων ἐν Λυκείῳ, οὗ οἱ ἀθλοθέται τὸν ἀγῶνα διατιθέασιν.*

[3]) XVIII 25 p. 226 = 320, 21 Hertz: *ἐκαθήμεθα ἐν τῇ στοᾷ.*

[4]) In quibus Socrati partes narrandi attributae erant; cf. Hirz. I p. 130_4. Idem factum esse in Aspasia dialogo H. Dittmar (Aeschines von Sphettos p. 49 s.) opinatur, qui illum Demetrii locum ex Alcibiade vel Miltiade dialogo fluxisse conicit (p. 117, 155, 182_1).

temptavit; Antisthenes in *Heracle*, quantum ex iis, quae supersunt, intellegitur, etiam in fabulosa tempora sermonem contulit.[1]

Aristoteles, ut diversissimas a praeceptore iniit rationes, in dialogis non modo ipse colloquens prodibat, sed etiam saepe principatum sibi assignavit;[2] plerumque sermones ipse videtur enarrasse. Ceterum quomodo scaenas adhibuerit, cum ἐξωτερικῶν librorum perpauca exstent ac, quae alii de eis tradiderunt, inter se pugnare videantur, non plane liquet. Cicero (ad Att. IV 16, 2) eum in singulis libris prooemiis usum esse dicit, cum Basilio teste (epist. 135) sibi conscius absentiae τῶν Πλατωνικῶν χαρίτων statim ipsas res aggrederetur; haec difficultas quomodo tollatur? Aristotelem maiora scripta prooemiis divisisse complures in sermones, quorum spatium ad veritatem magis accommodaret, recte, puto, Theodorus Birt[3]) perspexit, sed illum variis ac venustis scaenis exornasse dialogos quod inde suspicemur, non habemus. Ne alio quidem loco semper sermones constitutos esse, quod Birt atque post eum Schlottmann[4]) arbitrari videntur, sumere opus est; potius prooemia eis, quae sunt in Ciceronis Tusculanis disputationibus, simillima fuisse duxerim, in quibus — digressionibus non paucis factis — brevissime colloquii personae locus tempus indicantur. Ut istae quinque omnes ab eisdem eodem loco fiunt binis disputationibus spatio diei interiecto, ita Aristotelearum quoque magnam partem institutas esse et haberi singulas veluti in Lyceo singulis diebus coniciam; fortasse hic quoque ut in Tusculano, de quo dissereretur, statim poni solebat, id quod a Platone argumentum e scaena usque repetente tantopere abhorret, ut non iniuria artem Stagiritae minorem esse Basilius iudicaverit. A Platonis scriptis suo *Sophistae* et *Politico* nomina ille mutuatus est idemque *Symposium* composuit, quod περὶ μέθης liber maxima ex parte ab Athenaeo appellatur;[5]) quod ubi actum sit,[6]) non magis scimus, quam quo iure Νήρινθον

---

[1]) De Cyro Antisthenis dialogo cf. supr. p. 164_3.

[2]) Cf. Cic. ad Att. XIII 19, 4.

[3]) Das antike Buchwesen p. 472 ss.

[4]) Ars dialogorum componendorum quas vicissitudines apud Graecos et Romanos subierit (Diss. Rostoch. 1889) p. 19 s., 43; cf. infr. p. 182.

[5]) Cf. fr. 102 ss. Rose.

[6]) Cf. quae Hirzel I p. 285 proponit.

dialogum Themistius or. 23, 295 c (p. 356 Dind.) Corinthiacum vocaverit. De Aristotelis igitur scaenica arte nequit iudicari; ut philosophiam libris exotericis iucundam redderet lectoribus eum navasse operam constat, sed orationis genere ad animos legentium alliciendos apto[1]) quam scaenico ornatu id efficere videtur maluisse.

Qui post Platonem et Aristotelem philosophorum sectis praeerant, quantum scaenae tribuerint in dialogis, perspicere iam non possumus. Speusippus novam speciem generi conviviorum addidit *Πλάτωνος περίδειπνον* conscribens, in quo laudationes in Platonem funere exacto habitae videntur infuisse;[2]) Menagius (in Diog. L. III 2) philosophi illius, quem cenantem obisse fama erat, mortis horam vult effingi, ut opusculum Phaedoni dialogo compares. Theophrastus quos libros dialogi forma perscripserit, non satis constat; sermones a Stilpone Megarico compositos omni suavitate caruisse Diog. L. II 120 prodit.

Maioris momenti scaenam apud Dicaearchum fuisse existimandum est, quoniam non ex personis neque argumento, sed ex loco nominavit libros, quibus sermonem Lesbi[3]) institutum reddit, nec veri est dissimile disputationem Corinthi habitam[4]) eodem modo eum inscripsisse.[5]) An ita non ab eo actum esse arbitremur, nisi ut opera simillimi fortasse vel eiusdem argumenti talibus inscriptionibus melius discerneret? Et hoc et illud ternos libros amplexum esse scimus; idem de *Tripolitico,* quodcumque erat argumentum, suspicor, cuius dialogi theatrum esse Olympiam ex Cic. ad Att. XIII 30 (‚Volo aliquem Olympiae, aut ubi visum, *πολιτικὸν σύλλογον* more Dicaearchi, familiaris tui') concludas; quae contra Athenaeus (14 p. 620 d) nuntiat (*τοὺς δ' Ἐμπεδοκλέους Καθαρμοὺς ἐρραψῴδησεν Ὀλυμπίασιν Κλεομένης ὁ ῥαψῳδός, ὥς φησιν Δικαίαρχος ἐν τῷ Ὀλυμπικῷ*), utrum huc an melius ad Vitam Graeciae[6]) aut orationem quandam

[1]) Cf. E. Heitz, Die verlor. Schr. d. Aristot. p. 159 ss.

[2]) Cf. Hirzel I p. 345_5.

[3]) Mytilenis; cf. Cic. Tusc. 1, 77.

[4]) Cic. Tusc. 1, 21.

[5]) *Κορινθιακός,* quod nomen edi solet, nusquam legitur; ut illi libri *Λεσβιακοί,* hi potius *Κορινθιακοί* mihi videntur inscribendi esse.

[6]) Cf. Naekii opusc. I p. 324 ss.

Olympiis habitam[1]) sint referenda, perincertum est. Scriptorem Aristotelem secutum singulos dialogorum, quos commemoravi, libros in complures dies vel diei partes distribuisse propter inscriptionum numerum pluralem probabilissimum existimo; scripti, cui nomen est *Κατάβασις εἰς Τροφωνίου*, notionem accuratam animo concipere nequimus.

Iam vero Heraclides Ponticus tantam fabellarum copiam inseruisse dialogis videtur, ut quo loco ac quo tempore sint habiti sermones, e reliquiis parum intellegatur. Velut magusne, qui apud Gelonem Syracusis se nave Libyam circumvectum esse affirmat (Strab. II 3, 4), atque homo, qui de luna decidisse dicitur (Diog. L. V 72), ab aliquo in narratione proferantur an ipsi prodeant sermocinantes, vehementer dubito, nec magis librorum, qui *Abaris* inscripti sunt,[2]) aliorumve novimus institutionem. Quae Strabo VIII 7, 2, 384 tradidit de Helicae interitu, ex Heraclidae *περὶ εὐσεβείας* dialogo libata esse non inepte Voss[3]) coniecit, sed illud factum minus tamquam ansam praebuisse disputationi quam ea implicatum vel exempli causa fuse descriptum esse mihi persuadeam; hoc enim modo melius explicari puto illud Diogenis Laërtii, qui tragice hunc librum conformatum esse ait (V 88). Omnino Heraclidam illud genus dialogorum, quo praeter cetera actio ad animos legentium capiendos adhibetur, etiam si minus cum re cohaeret — cuius generis imprimis de re rustica Varronis et Plutarchi de genio Socratis libelli insignia exempla sunt — introduxisse veri simile ducendum est;[4]) eum ,in multis'[5]) priorum temporum personas fecisse colloquentes, ut ipse colloquio non posset interesse, ex Cic. ep. ad Att. XIII 19, 4 apparet. Unum *περὶ τῆς ἄπνου* librum cogitatione complecti plenius possumus, quo quemadmodum

---

[1]) Cf. Christ. Gr. L.[4] p. 610; Schmid in novissima eiusdem operis editione *Ὀλυμπικόν* inscriptionem putat proprii dialogi (II 1[5] p. 55).

[2]) Cf. quam varias coniecturas fecerint Hirzel I p. 328 s., Voss, De Heracl. Pont. vita et scriptis (Diss. Rostoch. 1896) p. 55, Dyroff, Philol. 59 (n. s. 13) (1900) p. 612 s.

[3]) l. l. p. 43 s.

[4]) Cf. Voss. p. 26 s.

[5]) His multis alii oppositi erant, in quibus — id quod Voss p. 44 negat — Heraclides ipse prodiit?

Empedocles in epulis πρὸς τῷ Πεισιάνακτος ἀγρῷ (Diog. L. VIII 67) instructis — puella Agrigentina paulo ante sanata — de morbis verba fecisset et insequenti nocte mirabiliter e vita discessisset, legebatur; tota relatio Pausaniae, familiarissimo Empedoclis, videtur attributa fuisse, ut scriptori et scaenam pingere et multa de philosophi illius vita tradere liceret.[1])

Ἐν ἀγρῷ (Diog. L. III 8) etiam Praxiphanes, qui Theophrasti disciplina utebatur, sermonem ab Isocrate atque Platone *de poëtis* habitum constituit hospitio oratorem a philosopho exceptum esse fingens; num ad exemplum Phaedri scaena informata fuerit, quod Hirzel (I p. 310_4) suspicatur, ignoramus. Peripatetici eiusdem περὶ ἱστορίας librum dialogum fuisse, quo Pellae apud Archelaum regem Thucydides atque poëtae quidam, utrum pluris aestimanda foret historia an poësis, certassent, vir ille doctissimus in Hermae tom. 13 p. 46 ss. probavit.

Ne tantum quidem de iis locis compertum habemus, in quos Clearchus Solensis colloquentes in dialogis suis conduxerat; nam quod in primo eius *de somno* operis ab Aristotele Hyperochidae cuidam de conventu, quem cum sapienti aliquo Iudaico in Asia fecerit, refertur,[2]) forsitan interiecta fuerit narratio, non summa libri.

Hieronymus et Prytanis suppares huic aetati *symposiis* a Plutarcho (quaest. conviv. prooem. p. 612 e) commemoratis sua tempora et aequales expresserunt, si ad illa vere pertinent, quae inde emanasse coniectura collectum est;[3]) certe opinionem Mauritii Schmidt,[4]) qui Hieronymum convivii Athenis Halcyoneis acti participem se ipsum induxisse conicit, non prorsus repudiandam puto.

Symposio Epicuri scaenica indicia defuisse constat; nam Athenaeus (V p. 186 d ss.) illum, quod nec locum neque tempus convivii indicaverit atque ne libamenti quidem intulerit mentionem, sed praetermisso prooemio statim convivam aliquem quaestiones proponentem fecerit, vituperat. Post cenam omnes — nemo nisi

---

[1]) Cf. Hirzel I p. 323 ss.

[2]) Cf. Joseph. contr. Ap. I 176 ss.

[3]) Cf. Hirzel I p. 361_3.

[4]) Didym. Chalc. fr. p. 368.

Epicureus [1]) cum eo aderat — in ambulando perrexisse colloqui scriptor confinxit.[2]) Cum facere vix posset, ut scaenam neutiquam notaret, si enarrasset rem, opus dramatice compositum fuisse mecum, ut spero, opinaberis.

Nec pluris, quantum scimus, suavem dialogorum formam primi Stoici fecerunt. Ex Zenonis sectatoribus Aristo, Herillus, Sphaerus conscripsisse dialogos traduntur, de quibus perditis non potest iudicari; Persaeus etiam *Συμποτικοὺς διαλόγους* condiderat, Hermagoras eo magistro usus et alios et sermonem, qui inscriptus erat *Μισοκύων*.[3]) Cleanthis solius nonnulli versus supersunt, quibus *Θυμός* et *Λογισμός* inter se disputant,[4]) ut quam exsangui more sermones instituerit, intellegas.

Primus fortasse — nam sermonis inter Socratem Aspasiamque de amore habiti, qui hexametris a Socrate narratur,[5]) et tempus et auctorem ignoramus — versibus dialogos Theocritus inclusit, qui in idylliis suis colloquentes prope fontem (VI 3 ss.) vel sub ulmam (I 15 ss.) hora meridiana, ad dumetum (IV 50 ss.), alia in loca rustica conduxit.[6])

Timon Phliasius utrum *Περίδειπνον Ἀρκεσιλάου* et *Pythonem*, quae in scriptis eius afferuntur, vincta an soluta oratione confecerit, non liquet;[7]) scaenam eum non silentio praeterisse Eusebii (praep. evang. XIV 18, 14 p. 760 d) demonstratur verbis, quo teste in Pythone ea rettulit, quae cum Pyrrhone Delphos proficiscente prope Amphiarai sepulcrum[8]) congressus disseruerat. Aliam disputationem cum Pyrrhone praeceptore initam eum herois versibus scripsisse e paucis *Ἰνδαλμῶν* reliquiis cognoscitur. Item carminum, quae *Silli* inscribuntur, libris altero et tertio sermo continetur;[9]) hunc, quo philosophos omnium temporum scriptor

---

[1]) Cf. Athen. V p. 187 ab.

[2]) Cf. Plut. quaest. conviv. III 6 p. 653 cd.

[3]) Cf. Suid. v. *Ἑρμ. Ἀμφιπ.*

[4]) Cf. Hirzel I p. 398_2.

[5]) Cf. exordium ab Athenaeo V p. 219 c ss. servatum.

[6]) Cf. etiam, quae supra p. 152 de Theocrito tractata sunt.

[7]) Cf. Hirzel I p. 398 s.; convivium apud Xenoclem rhetorem Athenis apparatum in modum epici carminis composuit Matro Pitanaeus; cf. reliquias in Corpusc. poës. ep. ludib. I p. 60 ss.

[8]) Oropium dici putat Diels, Poët. gr. fr. III 1 p. 205.

[9]) Cf. Diog. L. IX 111.

exagitat, cum Xenophane haberi apud inferos Wachsmuth[1]) consensu omnium coniecit.

Timonis Silli appropinquant ad rationem, qua Cynici dialogos solebant conformare. Qui cum vulgi animos movere vellent, scaenam illustrare et variare omni modo studuerunt adeoque sunt progressi, ut mirabilia atque incredibilia fingere non dubitarent. Antisthenes, quippe quem petivisse ex fabulis personas vidimus,[2]) hic quoque facem praetulit. Nonnullis in dialogis Diogeni suppositis vel bestias colloquentes prodisse Hirzel I p. 338 s. ex inscriptionibus concluserat, sed has non minus quam Eudoxi *κυνῶν* dialogorum[3]) inscriptionem aliter quoque interpretari licet. Neque Teletis consuetudinem sermones exornandi novimus, quoniam usque ad nostra tempora nisi in epitomen coacti non manserunt. Secus Menippi opera ex eis, quae imitatores — imprimis Lucianus — reliquerunt, satis lucide mente concipias: philosophia iis non aberat, plurima autem ad lectores delectandos eorumque risum concitandum comparata erant, maior fere pars libelli descriptione scaenae et actionis explebatur. Magnam locorum varietatem adhibuisse Gadarensem librorum ex indicibus cognoscas, quorum exempli gratia nominentur *Convivium, Necyia, Deorum concilium, Diogenis venditio.* Diogenem, exemplum Cynicorum omnium, persaepe instar Socratis Socraticorum in dialogis expressi primas partes egisse non miraberis.

Principem sectae imitatus denuo Socratem induxit Leo Academicus, cuius *Alcyon* esse dialogus putatur.[4]) Non inscite Platonis artem scaenae verbis colloquentium describendae et cum argumento conectendae aemulatus est. Pariter atque in Phaedro Socratem uno comite extra moenia ambulari certiores fimus; ad Phalerum praeter litus ingredientes vocem alcedinis ex promunturio propinquo audiunt, quae avis ex homine dicitur transformata esse; unde initium ducens de metamorphosibus oritur disputatio. Quamquam hibernum tempus est, tamen caelum et fluctus splendent serenitate, quod fieri solere ex deorum

---

[1]) Sillogr. p. 39 s.

[2]) Cf. supra p. 168.

[3]) Cf. Hirzel I p. 339.

[4]) Cf. Christ-Schmid, Gr. L. I[6] p. 704_7.

benevolentia, dum alcyones nidum construunt, Socrates docet (2); confecto sermone rursus in urbem ambo ascendunt (8). Scriptorem morem Platonis induisse, sed ad mare nos ducentem illius scaenis novam adiecisse periucundam fatebimur; qua re non mirum, quod nec Platone neque Luciano opusculum indignum putabatur.

Platonem ipsum celebratum esse libro ab eius nomine appellato, quem Eratosthenes conscripsit, veri est simillimum.[1]) Sed de hoc scripto, num forma dialogi conditum fuerit, non minus haereo quam de *Arsinoa*; colloquium enim, quod hoc ex opere servavit Athenaeus (VII p. 276ab), etiam in vitae illius reginae narratione legi poterat.[2])

Plato denique vel eius dialogi particeps factus est, in quo primo Italus vir colloquens inducitur.[3]) Disputationem enim illo praesente Tarenti ab Archyta et C. Pontio Samnite de voluptate habitam, quae Ciceronis in Catone (39) memoratur, alicubi scriptam legisse Ciceronem Niebuhr (Roem. Gesch. III p. 250_{373}) probabiliter coniecit. Cum eodem huius dialogi auctorem esse Nearchum, quem cum Catone quondam illud colloquium communicasse Cicero confingit, arbitror;[4]) Hirzel (I p. 419) ipso illo in dialogo a nescio quo conscripto Nearchum cum Catone sermocinantem enarrasse sermonem a maioribus acceptum argumentis non satis ad probandum firmis[5]) ratus est.

Pariter de primis dialogis vere Romanis nisi ex Ciceronis scriptis nihil cognitum habemus. Quo teste (pro Cluentio 141; de orat. II 224) M. Iunius Brutus, qui in aetatem Gracchorum incidit, de iure civili composuit tres libros, quorum primo in

---

[1]) Cf. Hirzel I p. 405 s.

[2]) Cf. Hirzel I p. 404.

[3]) Etiam Antiochi Ascalonensis librum, qui Sosus inscribitur, dialogum fuisse, quo scriptor ipse Alexandriae coram Lucullo Philonis praeceptoris scriptum modo divulgatum impugnasset, Hirzel (Untersuchgn. zu Cic. philos. Schr. III p. 264 ss.) multis argumentis efficere temptavit, nec modice huic coniecturae favet id, quod de disputatione per dies complures perducta dicitur (Cic. Ac. pr. II 12; 49); sed quoniam nihil omnino certi de illo libro scimus, integra res relinquenda est.

[4]) Contra Zellerum qui hanc sententiam impugnat, cf. Hirzel I p. 419_1.

[5]) In eo enim Zellero assentior, quod, quae Plutarchus Cat. maior. 2 de eadem re tradit, fluxisse ex illo loco Ciceronis censet (III 2^4 p. 98_1).

Privernati, altero in Albano, tertio in Tiburti suo se cum filio colloquentem fecit. Artificiosius eum scaenam non exposuisse ex eo cogam, quod ad verbum fere tria principia inter se similia reddidit; num veritati congruenter locum ter mutaverit an, quod intendisse animo postea dicebatur,[1]) ut praedia sua ostentaret, in medio relinquam.

Non elegantius Curio videtur instruxisse dialogum, quo acerbissime in Caesarem invectus est. Senatu misso se a filio, quid actum esset, interrogari finxit; quod tum neglecta temporum ratione res annis demum posterioribus gestas tractaverit et alia leviter ediderit, ei opprobrio dat Cicero Brut. 218 s.; Caesaris enim consulatu tempus sermonis accurate definitum erat.

3. De Ciceronis arte scaenica.

Cicero ipse, quae de philosophia et arte dicendi litteris mandavit, omnia fere sermonibus inclusit; ut vero res undique contulit, ita in scaenis quoque adhibendis non unius auctoritatem secutus est. Praecipuam in apparatu scaenico primorum dialogorum operam consumpsit, in quibus maxime videtur a prioribus pendere.

De oratore atque *de re publica* libris memoria praeteritorum temporum redintegratur; in utroque Cicero renarrat, quae a participe colloquii tradita esse dicit. Secundo ludorum Romanorum die in L. Crassi Tusculano *de oratore* sermonem institutum esse, cum etiam Scaevola Antonius alii adessent, audimus (I 24 ss.); Phaedri Platonici exemplo nominatim commemorato sub platano omnes subsidunt, quo pulvinos apportari Crassus iubet, ut senectuti Scaevolae serviatur (I 28 s.); quem primo libro exeunte Cicero omnino similiter ac Plato illum Cephalum, qui est in primo Reipublicae, ut infirmiorem in tanta contentione e sessiuncula removet[2]) disceptationis alia parte absoluta, cum reliqua, quamquam sol nondum se inclinat, in insequentem diem differatur (I 264 s.). Postridie mane, postquam Catulus et Caesar Scaevola auctore accesserunt, ab ambulantibus in porticu, quae ipsa quoque disputationum Graecorum

---

[1]) Cf. Cic. de orat. II 224.

[2]) Cf. ad Att. IV 16, 3.

renovat memoriam (II 20), inquiri pergitur (II 12 ss.). Ad meridiem tum duabus fere horis quietis causa interpositis cuncti, ut excipiant promissam Crassi orationem, quam modo in exedra a reliquis seiunctus commentatus est, Caesare suadente in silvam commeant ibique consessum faciunt (II 367, III 17 s.). Occasionem scaenae, quam in silva collocatam adhuc non invenimus, hic amplius augendae et ornandae scriptor praetermisit; commodissime saltem sole praecipite Crassum, ut finem faciat loquendi, commoveri fingit (III 209).

Simillime *de re publica* sermonem Cicero videtur disposuisse. Conventum in hortos P. Scipionis minoris Tuditano et Aquilio consulibus Latinis factum refert, de quo ipse quondam Smyrnae a Rutilio cognovit (I 13). Multis verbis, quo pacto Africanus amicos advenientes in cubiculo salutet, enarratur; cum Laelium adventare certior fit, e lecto surgit et in porticu eum exspectat; intrantem cum aliis amice accipit itaque honorat in medium coniciens (I 14 ss.), ut Protagorae Platonici in porticu inambulantis recordemur. Ut hiberno tempore in aprico loco pratuli considunt, ubi sermo non semel interventibus aliorum interruptus atque iterum ac saepius a sole altero, qui tum in caelo visus per omnium ora ferebatur, initium ducens (cf. I 15; 17; 19) ad caput operis denique ducitur. Libro secundo exeunte colloquium praeciditur, ut die postero restituatur; sed quae sequentibus diebus, quorum uterque pariter videtur amplexus esse binos libros, disputata sunt, funditus fere perierunt. Colloquentes in tertio libro eodem vel simillimo loco versari ac priore die verbis puto demonstrari, quibus unus ex iis de muribus rusticis mentionem facit.[1])

Nec libri *de legibus* a Cicerone compositi ad nostram memoriam integri manserunt, quod maximopere doleo; nam copiosissime, quantum videmus, scaenam huius dramatici dialogi scriptor ornavit. Arpini cum Quinto fratre et Attico morantem se inducit suavissime nobis depingens patriam. Quercum cognoscimus, quam Marii iam memoria illustrem posthac non minus inclutam fuisse existimes quam arbores reliquas antiquitus nobili-

---

[1]) Cf. III 25: *** praeter Arcades et Athenienses, qui ... commenti sunt se de terra tamquam hos ex arvis musculos extitisse.

tatas, olivam a Minerva in arce Athenarum positam, palmam Deli ab Ulixe visam imprimisque Platonicam illam platanum, quas tum quoque exstare credulis persuadebatur.[1]) Ad Lirim spatiantes avium concentu strepituque fluvii delectantur (I 14; 21); libro altero insulam in Fibreno sitam, cui nunc Carnello nomen est,[2]) delicias Ciceronis, petunt (II 1). Cum Atticus amoenitatem regionis praedicet, ille locum ideo sibi esse carissimum, quod natus sit in villa, quae vicina conspicitur, verbis se in animum insinuantibus proloquitur (II 2 s.). In fluminis transgressu Phaedri Platonici Atticus meminit ac sede, quae Fibreni bracchiis cingitur, uberius ac lepide laudata in umbra cuncti residunt (II 6 s.). Ubi quantum disputationis transigant, obscurum est; in quinto libro eos inclinato iam in postmeridianum tempus die ad Lirim rursus descendere, ut illic, quae restant, in umbraculis alnorum persequantur, apud Macrobium (VI 4, 8) legitur. Leges Platonis animo Ciceronis obversatas esse, cum opus suum eiusdem nominis componeret, apparet. Illum enim imitatus non modo formam dramaticam adhibuit, sed etiam totum sermonem in ambulacro, quod intermittitur locis opacis, fecit fieri; quin illo exemplo ut colloquium per sex libros continuatum uno aestivo die praeter morem includeret, commotus est.[3])

In urbanam Ciceronis possessionem *Bruto* dialogo deducimur. Ubi cum otiose in xysto ambulantem Brutus et Pomponius amici invenissent, ut a praesentibus animos avocans de oratorum vitis et ingeniis dissereret, a se petitum esse refert; libenter iis obsecutum, ut in caespite iuxta Platonis statuam considerent, auctorem se fuisse (9 s; 24). Sed nulla re scaena cum argumento iuncta est; nam quamquam plus semel Platonis mentio infertur, illud simulacrum nihil respicitur.

Plane incomptus est *de partitione oratoria* dialogus, quo Cicero cum filio, ille interrogans, hic respondens prodeunt; quod fieri in praedio aliquo initio sermonis (1: ‚. . . quoniam aliquando Roma exeundi potestas data est') significari putes.

Eximia contra cura *Hortensium*, quo libro primo populares

---

[1]) Cf. I 1 s.
[2]) Cf. O. E. Schmidt, N. Jahrb. f. d. kl. Alt. 2 (1899) p. 336.
[3]) Cf. II 69.

suos philosophia imbuebat, perpolivit;[1]) multum laboris ad loci quoque dignam reliquis expositionem cum contulisse ex iis, quae supersunt, intellegitur. Cicero cum Hortensio et aliis familiaribus, ut pridie in urbe constitutum esset, in Luculli villam Tusculanam[2]) ‚omni apparatu venustatis ornatam' se venisse narrat (fr. 4 s.). Hic salute accepta redditaque ab laude magnificentiae circum visae et imprimis signorum pictarumque tabularum exordium colloquendi videtur factum esse.[3])

Ruri etiam primum et secundum sermonum, quibus *de finibus bonorum et malorum* disputatur, Cicero locavit, primum in Cumano suo, quo Torquatus et Triarius salutatum advenerunt (I 14), alterum rursus in Luculli Tusculano, cuius in bibliotheca libros quosdam quaesiturus in M. Catonem, tutorem Luculli, ibi legentem incidit (III 7). Utrique feriae videntur occasionem otiandi praebuisse, nam Cicero se pridie ludis commissis ex urbe profectum esse ait (III 8); appropinquante vespere sermo finitur (IV 80). Diversissima et loco et tempore scaena tertii est colloquii, quod libro quinto continetur: Se iuvenem Athenis scriptor fingit cum aliis Romanis pariter tum litteris in sede clarissima studentibus e composito schola antemeridiana absoluta per Dipylum in Academiam incessisse, ubi procul a negotiis et urbis fremitu inter se disputarent (V 1). Solitudinem optatam nacti quam graviter regionis sanctitate moveantur, bellissime describitur; qui saepe iam in urbe et ad urbem in historicis locis vestigium posuerunt, iis hoc loco consecrato Plato Platonicique videntur quasi reviviscere, atque imprimis sessionem Polemonis et exedram Carneadis etiam exstantes verecunde intuentur[4]) (V 2 ss.). Cum etiam in disputatione ipsa identidem de scaena moneamur,[5]) artem et diligentiam Ciceronis valde admiraremur, nisi rationis temporum oblitus per unum ex colloquentibus sermonum ordine, non tempore priorum, qui de eadem re in eodem opere sunt,

---

[1]) Cf. O. Plasberg, De Cic. Hortensio (Diss. Berol. 1892) p. 5.

[2]) Cf. Hirzel I p. 499_3.

[3]) Cf. Plasberg p. 26 s.

[4]) Cui hoc dialogi exordium legenti non in mentem veniat illud Goethianum (Torqu. Tass. I 1, 80 ss.) 'Die Stätte, die ein guter Mensch betrat, ist eingeweiht' etc.?

[5]) Cf. V 8; 51.

mentionem intulisset (V 21). Quod ut excusarent viri docti alii esse vetus additamentum, alii in libro retractando per imprudentiam relictum esse arbitrati sunt;[1] ut ab aliis quoque saepe dicere et scribere, sermo et liber in dialogis confundebantur,[2] ita, ut discriptionem operis signaret, narrationem fictam neglexisse scriptor mihi videtur.

Vel in Asiae urbe, Ephesi, colloquium a se pro consule in Ciliciam iter faciente cum Nigidio, qui Romam rediturus erat, et Cratippo Mytilenis advecto de eadem re, quam Plato in *Timaeo* tractaverat, haberi fecit (1), sed ut ceteris in partibus ita initio quoque liber mutilatus est.

Summam artem Cicero ostendit — mea quidem sententia — in *Academicis prioribus,* quorum scaenam non modo elegantissime, sed etiam suapte vi ingenii ornavit; regione peramoena, quam depingit, animum eius inflammatum atque concitatum esse putes. Lucullus enim, Catulus, Hortensius cum Cicerone, qui in Catuli Cumanum pridie convenerant, quod in priore libro non servato enarratum erat, libro altero versantur in Hortensi villa ad Baulos in sinu Cumano posita, ubi in xysto consessum faciunt (II 9). Praeter cetera admiror, quomodo descriptio prospectus eis oblati aptissime colloquio et inseratur et cum eo coniungatur. Ex sede eorum conspici Cumanum illud Catuli atque Puteolos praeclare sitos atque mare plenum piscium audimus (II 80 s.). Ut sensus hominum vitiosos et fallaces esse demonstret, Cicero ex nave in conspectum veniente exemplum petit, cum ipsa stare procul spectantibus, at iis, qui in nave sint, moveri villa in litore aspecta videatur (II 81). Simili de causa etiam mare, quod colorem semper mutet varietque ac semper tamen idem sit (II 105), ac sol radiatus (II 126), qui quantus sit, aliter alius iudicet, sermone implicantur. Suavissime postremo finis colloquii nobis probatur; nam Ciceroni et Lucullo, inter quos convenerat, ut vento prospero ad praedia sua Vesuvio subiecta vela dirigerent, Favonio exorto nauta tempus esse avehendi nutu significat (II 147).

Mutatis mutandis eandem fere scaenam fuisse *Academicis posterioribus*, quibus scriptor priores duos libros, ut Varroni

---

[1]) Cf. Droysenum in Klotzii versione I p. 141 s.
[2]) Cf. Hirzel I p. 478_2.

eos mitteret, rescripsit et correxit, veri simile existimo. Rursus in Cumana villa, sed in Varronis, quo Cicero et Atticus Varronem obviam sibi profectum amicissime amplexi reduxerunt, initur disputatio (I 1). Ille quod nondum ex itinere — pridie vesperi Roma advenit — recreatus est, omnes considunt (I 14); ita sermonem usque ad extremum librum secundum continuatum esse perquam est probabile. Tertio et quarto libro, qui congruunt cum altero prioris operis, ut illic prope Baulos rursus sermocinantes commorantur; verba, ex quibus hoc elucet, a Nonio (p. 65 v. exultare) memoriae prodita illis respondere, quae Cicero in Ac. pr. II 125 loquitur,[1]) pro certo paene duxerim.[2])

Valde aequabilis quinque *Tusculanarum disputationum* scaena est. In Tusculano suo Cicero cum adulescente quodam, qui nota A significatur, studio antemeridiano in arte dicendi posito continuis quinque diebus post meridiem praecepta morum tractat. Quam ad rem in inferiorem ambulationem, quam Cicero vocabat Academiam, cotidie descendunt,[3]) ubi sedentes (V 11) aut spatiantes (II 10; cf. I 7) philosophantur. Ipsa colloquia, quae non narrata, sed more dramatico eduntur, cum loco, quem omni genere statuarum ornatissimum fuisse ex ep. ad Att. I 1, 5; 6, 2; 8, 2; 9, 2 scimus, nulla re conexa sunt.

In altero gymnasio Tusculani, cui Lyceum nomen erat, *de divinatione* quae conscripsit Cicero cum Quinto fratre se disputavisse fingit. Hic primo fratres ambulant in disserendo (I 8), initio libri alterius tum residunt in bibliotheca eodem loco sita (II 8), ex qua postea ad impugnandam superstitionem Marcus argumentum sumit; nam cum Quintus bellum Marsicum portentum esse scutis Lanuvinis a muribus arrosis dixerit, sibi de re publica vehementissime timendum esse, quod nuper apud se Platonis Politiam mures corroserint, ille iocatur (II 59).

De natura deorum dialogo extremam manum non iam accessisse etiam ex scaena parum diligenter tractata suspiceris.

---

[1]) Non. p. 65: et ut nos nunc sedemus ad Lucrinum pisciculosque exultantes videmus ***. | Cic. Ac. pr. II 125: et ut nos nunc simus ad Baulos Puteolosque videamus, sic innumerabiles paribus in locis esse. . .?

[2]) Similem convenientiam detexit Hirz. I p. 522_5.

[3]) Cf. II 9, III 7, IV 7.

Ad Cottam enim ipsius invitatu feriis Latinis se adisse et eum cum Velleio et Lucilio Balbo in exedra sedentem invenisse scriptor refert (I 15), sed utrum in urbe an in villa aliqua colloquium instituatur, non indicat; ut potius de praedio cogites, feriarum, quas Romani extra muros agere solebant, mentione facta movearis; certe hoc fieri in libris de oratore, de re publica, secundo de finibus conscriptis novimus. Praeterea etiam vestigia relicta sunt, quibus principio aliter opus compositum fuisse apparet; sermonem enim, qui nunc uno die includitur, in tres, quibuscum numerus librorum conveniret, Ciceronem discribere voluisse ex eis, quae II 73 et III 18 leguntur, luculenter intellegitur. Quod loco posteriore ad primum librum delegaris, quamquam secundus re vera respicitur, errore factum esse puto; aliter rem Hirzel (I p. 529_3) explicavit. Sub vesperum colloquio ad exitum adducto diversis sententiis disceditur (III 94 s.).

De fato disputationem in Puteolano Ciceronis ab hoc et Hirtio esse habitam confingitur (2); subtiliorem scaenae descriptionem lacunae, quae cingunt illud ,Considamus hic' (4), videntur quasi absorbuisse. In *Catone maiore* et *Laelio* denique dialogis, nisi quod hic apud Laelium, illic apud Catonem esse sermocinantes significatur, locus omnino non exponitur, quo maxime abhorrent ab eis, quos primos Cicero conscripsit; consentiunt autem cum illis ea re, quod antiquorum temporum homines inducuntur: Africanus minor, quem in Republica primarias egisse partes vidimus, in Catone ipse interest sermoni, Laelio ut brevi ante mortuus (3) concelebratur. —

Ciceronem, si dialogos eius animo perlustramus, in scaenis instituendis scripta Platonis et imprimis Phaedrum saepe imitatum esse intellegimus;[1]) hunc ,deum philosophorum'[2]) secutus in nonnullis (de orat., de rep., Cat., Lael.) ipse quoque sese loquentem fecisse non videtur. Magis ei, ut erat sui ipsius vehementer studiosus, placuit tenere principatum, ut Aristoteles consueverat. Propterea sibi partes quoque narrandi tribuit omnibus in dialogis, quos genere diegematico confecit, in quibus etiam ii

---

[1]) Cf. supra p. 175 ss.

[2]) Cf. de nat. deor. II 32.

numerandi sunt, qui quamquam per commodum forma dramatica induti sunt, tamen ab eo referuntur; velut in Laelio — haud scio an Platonis Theaetetum spectans — propter molestiam illud ‚inquam' et ‚inquit' inserendi se personas, quasi ipsae ea loquerentur, quae sibi a Scaevola tradita esse fingit, ait induxisse (3) ac similiter in Tusculanis agit, ut vere dramatici nisi de legibus, de partitione oratoria, Cato dialogi nulli putandi sint.

Exemplo Aristoteleo usus[1]) etiam sermones, qui longiores videbantur, in complures dies vel diei tempora divisit et libris singulis prooemia praeposuit. Huiusmodi prooemia necessaria esse, ubi colloquium sit interruptum, Birtio[2]) concedere non queo, nam Plato facile ex alio aliud necti posse, dummodo eaedem sint personae, saepius ostendit;[3]) neque tam arte ea cohaerere cum loci mutatione, quam ille atque Schlottmann volunt, arbitror.[4]) Mihi quidem, ut exemplum afferam, in altero de divinatione, in quo disputatione nihil interrupta paululum scaena mutatur (II 8; cf. supra p. 180), id potius propter prooemium, post quod loci memoria refricaretur, quam prooemium ob mutatam scaenam videtur constitutum esse. Quid, quod de legibus libri, in quibus identidem locus distincte variatur,[5]) omnino non habent prooemia? Haec postea adicere scriptorem voluisse, sed quominus faceret, matura morte impeditum esse, quod nonnulli opinati sunt, ut credam in tanta perfectione operis, in qua nihil nec desideratur neque addi potest sine depravatione, in animum inducere non possum. Prooemiis carere ei tantummodo dialogi non queunt, quos diversissimos et tempore et personis, re simillimos scriptor coniungere intendit, quod Cicero — fortasse primus — in tribus de finibus ac Varro in totidem de re rustica colloquiis perfecit. Ceterum his praefationibus, etsi nonnulla interdum de se et libro, de tempore et prodeuntibus, quae scire interest, iis scriptor inculcat, non raro minus effici contextum sermonum quam divelli, si incorrupte iudicabis, confiteberis.

---

1) Cf. ad Att. IV 16, 2.
2) l. l. p. 472.
3) Cf. supra p. 158 ss.
4) Cf. supra p. 168.
5) Cf. supra p. 175 s.

Quae denique et aliis et Heraclidae Cicero in libris ac potissimum in Laelio et Catone componendis debeat, nisi incertas coniecturas sequimur,[1] nescimus.

Quin Ciceroni ipsi multa tribuenda sint, non dubito. Scaenas ab exemplis suis non inepte mutuatus est, sed ad Romanas res et suam condicionem adaptavit atque etiam novas, quantum videre licet, introduxit.[2] Non loco quolibet neque cum iis, qui forte convenerunt, aut coram multitudine more Graecorum[3] fieri sermones fecit, sed e composito in libris eius pauci familiares instituunt disputationem et id maximam partem, ubi re vera plurimum Romani otiandi occasionem nacti versabantur, in villis praediisque per Italiam disiectis. Tempus colloquiorum saepe — velut in Republica — certis indiciis edocemur; Ciceronem autem, quamvis dialogos non raro specie auctoritatis afficere studeret, non narrasse sermones vere habitos, sed eis, quos idoneos putabat, dicendi partes assignasse ex ipsius confessione[4] constat. Hac dialogorum licentia in scaenis quoque utebatur, quas, ut legentes si non alia re, varietate saltem delectaret, alio usque loco constituit. In hortos Scipionis ducimur, quos prope campum Martium fuisse veri simile videtur;[5] Luculli admiramur villam splendidissimam Tusculi sitam et ibidem in Crassi praedio moramur; Cumana Catuli atque Varronis visimus et apud Baulos in Hortensi xysto magnificentissimo prospectu fruimur. Nimirum sua quoque, Tusculanum cum Lyceo et Academia praeclaris ab exemplis appellatis, Cumanum suum et Puteolanum imprimisque patriam, quam mente conspicere nobis videmur, immortalitati commendavit; secum nos etiam Athenas, in magistram artium omnium et litterarum, atque Ephesum abducit. Quod non omnes libros eadem copia et arte exornavit, si Platonis opera inspexeris, non reprehendes. Patrios Arpinatium campos tanta veritate et explicatione adumbravit, ut hodie quoque omnia recognoscamus,[6] et quam egregie in quinto de finibus eadem antiquitatis vere-

---

[1]) Cf. Hirz. I p. 546 ss.
[2]) Cf. supra p. 176.
[3]) Cf. de orat. II 18.
[4]) Cf. ad fam. IX 8, 1.
[5]) Cf. H. Jordan, Topogr. d. Stadt Rom im Alt. I 3 p. 489 s.
[6]) Cf. A. v. Humboldt, Kosmos II p. 18.

cundia nos implet, qua ipse quondam captus fuerat! Quam eleganter, ut Phaedri nobis memoria redigatur,[1]) in altero Academicorum priorum scaenam intexuit sermoni! Quamvis divinam simplicitatem Platonis non aequaverit, tamen artificium eius non tam parvi aestimandum esse, quam pridie Droysen[2]) ac nuperrime Loercher[3]) fecerunt, mihi persuasum est.

4. De dialogis a Ciceronis aetate ad Plutarchi tempora conscriptis.

Multo frigidius Cicerone ac minus probabiliter Varro scaenas dialogorum conformavit. Ut satiris in Menippeis omni ope atque opera enixus est, ut eos delectaret, qui legerent, ita etiam sermones *de re rustica* auxiliis extrinsecus assumptis exornavit, quae rei, ad quam parum pertinent, quasi agglutinata sunt. Unicuique libro huius operis propriam scaenam tribuit, ut pariter ac Ciceronis tres de finibus dialogi nec tempore nec loco nec personis inter se cohaereant, sed solo argumento atque ea re, quod scriptor, qui omnibus colloquiis interfuit, omnia narrat. Primum colloquium confertur Romae sementivis feriis in aedibus Telluris, quo Varro et alii ab aeditumo vocati sunt (2, 1 ss.). Qui dum exspectatur, illi tabula, qua picta est Italia, commoti, postquam consederunt numerusque eorum plenus factus est, fertilitate patriae laudata de agri cultura disputant. Res proposita commodum absoluta est, cum aeditumi libertus irruit et dominum in urbe trucidatum esse flens nuntiat; perterriti tristi evento digrediuntur (69, 2 s.). — Ubi et quomodo secundi libri sermo oriatur, quoniam lacuna periit initium, ignoramus. Festo aliquo die, dum sacra apparantur, Varro ac nonnulli familiares colloquuntur de re pecuaria; postquam paratam esse rem divinam nuntius allatus est (8, 1) et Vituli libertus Varronem atque Scrofam in hortos invitavit (11, 12), sermo finitur. — Tertia disputatio comitiis aediliciis in villa publica habetur,

---

[1]) Cf. supra p. 151 s.

[2]) In Klotzii versione I p. 142.

[3]) Das Fremde u. d. Eigene in Cic. Büch. de fin. bon. et mal. u. den Acad. (Halle 1911) p. 315 ss.

quam ad campum Martium sitam Varro atque Axius senator, ut tuti essent a sole calido, latis suffragiis petiverunt (2, 1 ss.). Ibi in Appium Claudium augurem aliosque in subselliis sedentes incidunt, quorum cognomina ab avibus petita de avium educatione similibusque fructibus villarum disserendi ansam praebent. Sed iterum ac saepius consessus motu strepituque comitiorum interpellatur; tumultu foris orto Pantuleius Parra intrat atque causam refert, de qua certior factus Pavo abit, ut liberius dici possit de pavonibus (5, 18); dum Appius Claudius ad consulem citatus de villa exit, involant columbae, in quas statim transfertur collocutio (7, 1). Non multo post Appius revertitur (12, 1), post illum Pavo, qui comitia ad exitum praecipitare nuntiat (17, 1), qua re audita reliqui in vestigio proficiscuntur; Varro et Axius autem candidatum suum opperiuntur et designatum in Capitolium comitantur. — Similiter secundi quoque colloquii participes prodeunt abeuntque,[1] ut dialògi Varronis proxime ad genus scaenicorum operum accedant, id quod ex satiris, quas cum comoedia artissime coniunctas esse constat, haud scio an manaverit. Ex comoedia id quoque sumptum videtur esse, quod ipsis disserentium nominibus res, de quibus disseritur, significantur; unde personas, quarum nomina fide historiae omnia, quantum nos quidem scimus, comprobantur,[2] non vere ita convenisse, sed electos esse a scriptore patet. Ceterum Varro, qui sermones de re rustica conscriptos discrepans cum Cicerone et cum argumento — quanto enim probabilius ruri poterant institui! — medio in strepitu urbano posuit, mores qui tum in capite orbis terrarum essent, non iniucunde demonstravit.

Viros aetatis suae illustrissimos Maecenas in *Symposio* non servato videtur congregasse; certe Vergilium et Horatium finxerat ei interfuisse,[3] cui, si Hirzelii[4]) opinionem sequimur, ne scurra quidem deerat.

Sed Vergilius et Horatius ipsi quoque in numero eorum, qui conscripserunt dialogos, habendi sunt, cum operum suorum

---

[1]) Cf. 1, 1; 5, 1; 6, 1.

[2]) Cf. Hirzel I p. 557.

[3]) Cf. Servium in Verg. Aen. VIII 310.

[4]) II p. 7_1; Mus. Rh. 43 (1888) p. 316_1.

compluribus formam dialogi induerint. Vergilius imitans Theocritum scaenas sermonum, qui generis et dramatici et diegematici in libro *eclogarum* inveniuntur, suaviter ac copiose illustravit. Primum colloquium initur ‚patulae sub tegmine fagi' (v. 1) ac venustissime vesper, qui appropinquans finem illi imponit, pingitur (82 s.); in tertia ecloga pastores concertantes cum arbitro in molli herba prosternuntur (v. 55), in quinta colloquentes antrum silvestre petunt (v. 6 s.; 19), in nona colloquium ut in Platonis Legibus fit in itinere. Versus alternos, quibus Corydon et Thyrsis sub ilice ad Mincii ripam sita contenderunt, ecloga septima enarrat Meliboeus, octava cantus a Damone olivae incumbente et Alphesiboeo prima luce editi ab ipso scriptore referuntur.

Horatius formam dramaticam adhibuit in sat. II 5, in qua Ulixem et Tiresiam inducens in aetate fabulosa scaenam collocavit, in II 7, in qua se ipsum cum Davo, servo suo, Saturnalibus loquentem fecit, nec minus in II 1; 3; 4, in quibus neque locus neque tempus indicatur; diegematice composuit I 9 (Ibam forte etc.), in sat. II 8 narratio convivii a Nasidieno acti Platonis more alio sermone implicata est.

Poëta plurimum in hoc symposio cibis exponendis attribuerat. Asellius Sabinus vero adeo processit, ut in dialogo, pro quo Suetonio (Tiber. 42) teste ducenta sestertia a Tiberio accepit, boletum et ficedulam et ostream et turdum sermocinantes induceret.

Etiam Asconium Pedianum convivium Iunio Blaeso et Lucio consulibus ab Apicio Marco, homine in luxuriam effuso, apparatum, cui senes maxima ex parte et scriptor ipse quamquam non invitatus interfuissent, multis rebus exemplum Platonis secutum effinxisse Hirzel[1]) non contra probabilitatem ex eis coniecit, quae apud Suidam verbo Ἀπίκιος Μάρκος legimus.

Seneca in dialogis, qui magis ad epistularum genus appropinquantes hoc nomine vix digni sunt, scaenicum ornamentum prorsus repudiavit.[2])

---

[1]) II p. 44; Mus. Rh. 43 (1888) p. 314 ss.

[2]) Librum, qui Apocolocyntosis inscribitur, in numero dialogorum contra Hirz. II p. 33 non duco.

Nec Iuvenalis sat. IX, qua diligenter forma dialogi servatur, locum aut tempus edidit; quo uberius tertia, quam numeres in diegematicis sermonibus, vallem Egeriae, quo cum amico Cumas emigrante descenderit, cum raeda ad portam Capenam substitisset, depingit. Verba, quibus colloquio eorum finis imponitur:

(316) ‚sed iumenta vocant et sol inclinat, eundum est;
nam mihi commota iamdudum mulio virga
adnuit',

extremum nobis Ciceronis Ac. pr. librum II, qui perquam eleganter hic variatur, in memoriam redigunt.[1])

Tacitus, aequalis Iuvenali, ipse quoque Ciceronis morem in dialogo *de oratoribus* instituendo imitatus huius arte se nihilo inferiorem praestitit.[2]) Cum Apro et Iulio Secundo, quos tum assectatus sit, adulescentem ad Curiatium Maternum se adisse eumque in cubiculo sedentem ac Catonem librum, quem pridie recitasset, in manibus habentem invenisse refert (c. 2 s.). Disputationi, utrum ars poëtica an oratoria praestantior esset, institutae ubi etiam Messalla intervenisset (14), omnes conquestos intermissam esse eloquentiam idque centum demum et viginti annis in colloquii diem praeteritis, ex quo summus orator, Cicero, obisset; quod ut confirmaretur, annos, per quos singuli imperatores rem publicam rexissent, computatos esse (c. 17). Hoc loco usus Schwenkenbecher[3]) disceptationem illam ipsum a. d. VII. id. Dec. anni 74 p. Chr. n. esse habitam nescio an recte opinatus sit; certe magnas difficultates, quae his verbis insunt, optime mihi videtur expedisse.[4]) Exacto die sermo inciditur ac iocum Materni Aprum amplexi risu excipientes omnes discedunt (42).

Simillima res agitur in Flori libro, qui inscribitur ‚*Vergilius orator an poëta*', sed nova et inaudita scaena dialogus, cuius exordium servatum Ritschl (opusc. III p. 730 ss.) emisit,

---

[1]) Cf. supra p. 179.

[2]) Cf. R. Helm, N. Jahrb. f. d. kl. Alt. 11 (1908) p. 474 s.

[3]) Quo anno Tac. dialogus de or. scriptus sit (Progr. Sprottau 1886) p. 5.

[4]) Cf. etiam A. Gudeman proleg. XXIII ss.; John. praef. p. 3 s.; F. Kaiser, De dialogo de orat. (Diss. Lugud. 1902) p. 24 ss.; H. Bauer, Die Verfasser- und Zeitfrage des Dial. de orat. (Progr. Hatting. 1905) p. 48 ss.

instructus est. Primum enim occidentalem in regionem imperii Romani ducimur; in oppido Hispaniae, quod Tarraconem esse vir ille doctissimus probavit, Traiano imperante scriptorem litterarum professione victum quaesivisse comperimus. Hic aliquando, cum ad templum Iovis — etiam a Suetonio (Galb. 12) memoratum — ‚plurimarum arborum amoenitate, euriporum frigore, aëris libertate' se reficeret, nonnullos Baeticos, qui Roma in patriam redeuntes illuc delati essent, in se incidisse narrat; ex quibus uni se coniunctum esse pristina consuetudine postquam cognovit, amplexu amicitia renovata illi omnes vitae casus explicat ac regionem sub Pyrenaeo sitam, ubi denique constiterit, magnis laudibus amplificat. Sermo deinde quomodo ad rem propositam deflectere potuerit, Hirzel II p. 68 non inscite exponit; idem, quod etiam in Epitoma Flori non semel loca pluribus pinguntur, historicum eundem esse ac qui nostrum dialogum confecit, ratus est (II p. 70_1).

Dionis Prusaensis quae putantur esse scripta, maxima ex parte, si Ioannis de Arnim[1]) sequimur sententiam, non tam ab ipso edita, quam ab auditoribus discipulisque, cum dissereret, notis excepta posteaque foras data sunt. Ita id quoque optime mihi videtur explicari, quod eius dialogi dramatici et diegematici scaenarum tractatione plurimum inter se distant. An eum, qui in sermonibus relatis omnia fusissime descripsit,[2]) in colloquiis, quae litteris dramatice mandaret, ornatum scaenicum funditus neglexisse tibi persuadeas? Contra facillime potuit fieri, ut sectatores disputationes a Chrysostomo nequaquam inornate enarratas ad verbum fere stilo exciperent, in iis autem, quibus re vera institutis ipsi intererant, rem pluris quam scaenam aestimantes locum et tempus atque etiam nomen interlocutoris perquam praeterirent, id quod in orationibus 21, 23, 25, 26, 55, 56, 60, 61, 67, 70, 74, 77/78 videmus factum esse. In or. 61 etiam cognoscitur Dionem cum muliere sermocinari, in 21 sermonem de pulchritudine ab adulescente formoso initium capere, quem aeque atque alios in palaestra aliqua vel porticu habitum esse ex or. 13, 31 licet conicere.[3]) Magis apparent atque exstant personae or. 30, in

---

[1]) Leben u. Werke des Dio v. Pr. p. 170 ss., 270 s., 281 ss.

[2]) Cf. infra p. 189 s.

[3]) Cf. Arnim. p. 284.

qua Dio cum patre atque fratre Charidemi non multo ante mortui colloquens prodit — ut verborum e contextu suspicor, Messenae; hic pater scriptum quoddam a moriente filio dictatum recitat, quod minime fictum, sed hoc modo a Dione divulgatum esse Arnim p. 283 existimat. Oratio 58, in qua Achilles atque Chiron colloquuntur, et or. 59, qua quomodo Ulixes habitu occulto Lemni Philoctetam decipiat ostenditur, nil nisi *παραφράσεις*, quae vocantur, e tragoediis delibatae videntur esse.

Dialogorum autem generi diegematico, quoniam nisi relatio sermonis nihil iis continetur, complures orationes annumerandae sunt, quas instar reliquarum pronuntiatas esse coram publico veri puto simillimum. Veterum temporum memoriam Dio repetivit or. 2, qua Alexandrum Magnum cum Philippo patre victoria apud Chaeroneam parta *ἐν Δίῳ τῆς Πιερίας*, postquam Musis sacra fecerunt ac certamen appararunt, de Homero disputantem fecit, nec minus or. 4 et 10; illa colloquium, quod Alexander et Diogenes *ἐν τῷ Κρανείῳ* prope Corinthum de regno habuerunt ac cuius exordio philosophus humo non surgens regem iussit recedere, ne solem tegeret, refertur, hac aliud, quod eundem Cynicum Corintho iter Athenas facientem cum amico Delphis oraculum de fugitivo petituro instituisse et ad solis fere interitum illo invito produxisse fingitur.

Plenius scriptor scaenam iis in dialogis instruxit, quibus, quae ipse quondam disseruerit, enarrat. Or. 28 nos Neapolim deducit, ubi ex portu ascendentem statim se in gymnasium tendisse et ad Herculis exedram magno cum grege Iatroclem athletam ludis futuris corpus exercentem inspectasse ait; a sene quodam ipso quoque praesente et spectante se tum comperisse Melancomam, qui ut reliquos omnes, ita Iatroclem saepe vicisset, paucis diebus ante absumptum esse, quo casu ille magnopere maereret. Cuius dolorem ut consolaretur, sermonem se ingressum esse, sed illum, quod ei hora exercendi pueri fuisset, paulo post abisse.

In parte opposita orbis terrarum sermo factus est, quem Dio in patria dicitur recitasse (or. 36). Abunde loci, Borysthenidarum oppidi, quo exul venerat, et situm et historiam descripsit, elegantissime inter se omnia coniunxit. Cum aliquando tempore aestivo ante portas cum nonnullis ambularet, Callistratum

adulescentem, cuius ornatus vestitusque militaris enucleate pingitur, equo advectum esse narrat; quocum, postquam descendisset, ab disticho Phocylideo orsum se de re publica locutum, sed ut securi essent ab impetu Scytharum, qui pridie nonnullos necavissent, alios cepissent, moenia signo belli instructa omnes petivisse. Ad Iovis templum, quod postea quoque respicitur, ubi deliberare Borysthenidae solerent, in gradibus nobiliores consedisse, ceteros — omnes antiquo Graecorum more comatos et barbatos — adstitisse; hoc loco sane quam idoneo a maximo natu commotum se sermonem ad divinam civitatem transtulisse. Scaena uberrimo hoc modo exornata quam praeclare, ut coloniam in extremo Ponto Euxino positam identidem a barbaris deletam ac semper circumventam insidiis per oculos subiceret, scriptor effecit!

Favorinus, qui erat in Dionis sectatoribus, in libro πρὸς Ἐπίκτητον conscripto Epictetum cum Onesimo, Plutarchi servo, induxit disputantem, sed scaenam qua ratione instituerit non constat.[1])

5. De Plutarchi arte scaenica.

Varia scaenarum genera adhibuit Plutarchus, qui forma dialogi in multis scriptis usus est. Quae hoc modo prima putatur confecisse, item ac Cicero eximia cum diligentia composuit; ut ille etiam antiquorum temporum homines in eis prodeuntes fecit. *Convivium septem sapientium* omni modo nimis fere exornatum a Diocle, qui ipse ei interfuerit, loco non edito, ut aliam relationem corrigat, amico enarrari fingit. Latissime res singulae exponuntur; Diocles cum Thalete, quem hospitio exceperat, ut refert, et Niloxeno, postquam vehiculum a Periandro missum repudiarunt, viam ut aestate pulvere ac turba molestiorem relinquens per agros iter in Lechaeum fecit, ubi in cenaculo ad aedes Veneris epulae apparatae erant (2 p. 146 d ss.). Hic dum reliqui lavantur et unguntur, Thales aulas et palaestras ac nemus ad mare situm inspicit (3 p. 148 b s.); in porticu deinde Anacharsi, cuius comae a virguncula pectuntur, salutato et congressu cum Alexidemo facto, qui quod iniuria affectus sit perindignatus abit, in hortum a Periandro sevocantur, ut monstrum

[1]) Cf. quae Hirzel II p. 122 s. opinatur.

quoddam in stabulo intueantur et interpretentur (3 p. 149 c ss.). Qua re iocose absoluta convivium denique initur, cuius participes etiam Melissa, Periandri uxor, et Eumetis sunt (4 p. 150 b). Finita cena simplici, postquam coronis distributis libaverunt et tibicina excessit (5 p. 150 d), sermo ab hac ductus ad res maxime varias transfertur. Cum etiam feminae exierint atque liberius convivae bibant et loquantur (13 p. 155 e), Gorgias, Periandri frater, qui Taenaro advenit, intrat ac primo fratri, omnibus deinde nuntiat, quo modo maxime mirando brevi ante Arion citharoedus a morte ereptus sit (17 p. 160 c ss.). Solone auctore, quod advesperascit, postremo Musis ac Neptuno atque Amphitritae libamentis datis finis fit convivii (21 p. 164 d). Plutarchus Xenophontis Symposium videtur imitatus esse, sed etiam magis illo rem distinguere et animos eorum, qui legunt, oblectare omni genere adiumentorum studuit; haec autem quod ex parte longius repetivit, a Xenophonteo, ne dicam Platonico, exemplo multum abest.

Nec magis artem Platonicam librum *de genio Socratis* instituens aequavit. Pariter ac princeps ille philosophorum in Phaedone rem vere gestam cum disputatione hic conexuit, sed quantum interest inter utrumque scriptum! Plato rem maxime cum scaena convenientem tractat, Chaeronensis argumento, ex quo liber nomen cepit, laxe alienissimam actionem, quae ultro maximam dialogi partem complectitur, adiunxit. Iterum pariter atque in convivio septem sapientium Platonis more duae scaenae adhibentur, sed hic accurate utraque notata est: Athenis, quo legationis causa venit (1 p. 575 d s.), Caphisias, Epaminondae frater, Archidamo aliisque, quo pacto Thebae a tyrannis liberatae ac quae illo die disputata sint, enarrat. In domo Simmiae, qui Phaedone Platonis nobis cognitus ex vulnere in crus accepto tum convalescebat, vel prope eam maxima ex parte rem geri comperimus; huc capita coniurationis, ut solebant, convenerunt, hic edisserto somnio hospitis Crotoniensis ab Epaminonda adducti in daemonia imprimisque Socratis inquiritur (c. 6 ss.). Sed disceptatio plus semel interpellatur: medicus intrat, ut Simmiae corpus curet, ac novum embolium incohatur Phyllidae ingressu, qui nonnullis consciorum in angulum atrii abductis spem prosperi eventus plane iam deletam esse nuntiat (17 p. 586 a ss.); non

multo autem post apparet eos frustra perturbatos esse. Quam ancipiti in spe periculoque participes coniurationis et hic et tum fuissent, cum in Charonis domo sub vesperum omnes se congregassent (c. 27 s.), perlucide Plutarchus illustravit. Illinc partem coniuratorum habitu mulierum per vias propter nives plane desertas contendisse ad Phyllidam, ubi tyranni deinde inter cenam trucidati essent, nec minus neces Leontidae et Hypatae, a quibus Caphisias afuerat, audimus (c. 32); a convolantibus ad carcerem caeso praefecto captos liberatos atque opus ad exitum adductum esse. Hoc modo magis drama quam dialogus nobis offertur ac narratio tanto personarum numero, tot casibus tantaque loci mutatione insignis non multum a fabulis, quae nostra aetate agitantur, mihi videtur abhorrere; qua re quod nondum cum opere simillimo, quod Schiller noster de Helvetiae liberatione condidit, contentio facta est, admodum miror.

Complures dialogos Plutarchus eo colligavit, quod scaenas eorum Delphis constituit. In eo, quem inscripsit *περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν*, Philinum quendam Basilocli familiari, quae colloquia Diogenianus hospes illic cum Theone, Serapione aliisque se praesente pridie habuisset, ibidem — ut videtur — referentem fecit. Peregrinum illum invisisse donaria ac cantilenam eorum, quorum esset advenas circumducere, aegre ferentem cum comitibus de eis disputasse, quibus conspectis gravius commotus esset; tales disceptationis ansas praebuisse aes caeruleum quarundam statuarum (2 p. 395 b), simulacrum Hieronis regis (8 p. 397 e), saxum, in quo prope curiam sito Sibylla prima consedisse dicitur (9 p. 398 c), nec minus palmam aëneam ex Corinthiorum donis etiam reliquam, cuius in radice ranae et hydri exsculpta essent (12 p. 399 e ss.), locum, in quo ad thesaurum Brasidae et Acanthiorum sito obelisci ferrei Rhodopidis quondam fuissent (14 p. 400 f.), signumque Phrynes aureum imperatorum atque regum inter signa collocatum (p. 401 a) legimus, quae ad scientiam nostram rerum Delphicarum magnum momentum faciunt. Circuitu nondum perfecto se in gradibus templi ad meridiem spectantibus, unde Castalia, Musarum fanum, et delubrum Terrae aspicerentur, consedisse (17 p. 402 c), ut quaestionem prius propositam, cur carmine Apollo iam non redderet oracula, exsequerentur.

Persimili modo *περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων* dialogus formatus est. Lamprias, unus ex scriptoris fratribus, Terentium Priscum de sermone certiorem facit, cui Delphis ipse interfuerit. Huc, ut enarrat, brevi ante Pythia, quae Callistratus moderaturus erat, amici quidam convenerunt, quorum colloquium, ubi Cleombrotus Hammonis ex oraculo regressus rem notabilem illic auditam protulit, ad ruinam omnium fere oraculorum delabitur. Initio prope templum Apollinis versati (cf. 6 p. 412 d), ubi ex laterculo humi iacente exemplum petitur (3 p. 410 e), ad curiam Cnidiorum procedentes ibi in alios familiares incidunt, qui eos exspectantes aut quieti sedent aut unguntur aut athletarum observant exercitationes. Eos, postquam permixte assederunt, participes disputationis reddunt, quae ut domestica et propter deum omnes deceat; sed statim Didymus, ut est a Cynicorum disciplina, exsiliens ac baculo bis terve terram pulsans hominum pravitatem, qui iam dudum oraculis abusi sint, vehementissime castigat; ira non facile sedata postquam exiit, reliqui agere inceptum pergunt (7 p. 412 f. ss.). Identidem et locus et futuri ludi verbis sermocinantium in memoriam nobis rediguntur (cf. 8 p. 414 a ss.; 15 p. 418 a ss.; 42 p. 433 c); nova quaedam inquisitio sub finem breviter perstricta in aliam differtur occasionem.

Hoc promisso scriptor stetit libro *de E Delphico* conscripto, qui a prioribus dialogis paululum discrepat. Plutarchus enim sibi ipsi dicendi partes tribuit et ipse sermonem refert Serapioni at non praesenti viva voce, sed per litteras Athenis habitanti. Neque ipsum colloquium, cui anno 66 p. Chr. n. instituto admodum adulescentem se interfuisse ait, sed quomodo illud cum paucis peregrinis utique de illa nota templo inscripta aliquid audire cupientibus communicaverit, enarrat (1 p. 385 a ss.); ad templum Delphicum sibi sedenti loco memoriam disputationis prioris allatam esse, a qua permultos annos praeterisse ex eo intellegitur, quod nunc iam filii Plutarchi adsunt. Ulterius scaena non describitur, qua re sermones Pythicos confectos esse eo ordine, quo usus sum, ut putem moveor; eandem enim scaenam saepius adhibitam non pari ubique copia tractari posse patet. Huc aliud accedit; Plutarchus in prooemio, quod huic dialogo praemisit, Serapioni se nonnullas mittere disputationum Pythicarum dicit; complures

igitur libros illius generis eum iam condidisse opus est, in quibus, cum alios non noverimus, de Pythiae oraculis ac de defectu oraculorum esse dialogos cui veri simillimum non videatur? Hirzel II p. 204 sermonem de defectu oraculorum scriptum postea emissum esse censuit, quod aliter eum Serapioni, qui ipse colloquens prodiret, iam ante illud prooemium innotescere oportuisset; sed hos dialogos non longis intervallis vel una editos esse si mecum conicis, nihil offendit.

Delphos denique etiam eo dialogo, qui est *de sera numinis vindicta*, ducimur. Rursus sermonem scriptor ipse refert, sed Quintus, qui initio appellatur, utrum coram adsit an ei liber tantum mittatur, haereo. Inusitato more ei, qui legunt, medias in res statim rapiuntur; dum Plutarchus in porticu cum sociis ambularet, unum ex colloquentibus deis increpitatis protinus abisse accipimus; relictos primo obstupefactos tacuisse, tum, quod ad finem ambulationis pervenissent, itinere retro verso inter se disputantes verba illius refutasse. Hac in re Plutarchus sibi primas partes tribuit; in ambulando et alia et quae acciderint Aesopo Delphis profert Hyampeam, qua ex rupe ille depulsus esse dicitur, digito monstrans (12 p. 556 f s.), ut hoc demum ex loco, ubi colloquii theatrum sit, sentiamus.

Minus etiam scaena eius dialogi, in quo *de facie lunae* agitur, significata est, quem, quod praeterea abruptum conspicitur exordium, integrum exstare nonnulli negaverunt.[1] Totum sermonem Lamprias, id quod prius quam initio cap. 24 non cognoscitur, refert et eum non sermocinanti alicui, sed legentibus; quae si deliberaveris, eorum sententiam, qui hunc librum a Lampria conscriptum esse putant, non prorsus contemnes. Utcumque res se habet, colloquium, cuius participes loco non accuratius notato primo deambulantes, tum ἐπὶ τῶν βάθρων sedentes (24 p. 937 C) disputant, in patria Plutarchi, Chaeroneae, esse habitum Hirzelium (II p. 184_1) secutus veri simillimum existimo. Nam de templo Delphico Apollinis ne cogitemus, imprimis

---

[1]) Cf. Hirzel II p. 186_6; idem p. 196 hunc librum ante sermones Pythicos confectum esse libro de defectu oraculorum comparato efficere conatus est; sed omnia, quae affert, etiam reciprocari possunt, ut contrarium sequatur.

similitudine monemur, quae huic sermoni cum alio intercedit. In libris enim, quos inscripsit *πρὸς Κωλώτην* et *Ὅτι οὐδ' ἡδέως ζῆν ἔστιν κατ' Ἐπίκουρον,* ni omnia nos fallunt, Plutarchus exemplum praebuit sessionum, quas domi cum sectatoribus philosophandi causa instituere solebat; in priore se scriptum quoddam Colotae recitatum omnium rogatu impugnasse, in altero illum excipiente, quae deinde dicta essent, cum ad gymnasium ex consuetudine obambulassent ac postremo consedissent *ἐπὶ τῶν βάθρων* (20 p. 1100 e), prodidit. Ne hic quidem distincte locus nominatur, sed quid magis in promptu est, quam scholas Plutarchi Chaeroneae esse habitas conicere? Et ambulatio autem et consessus, quae facere in disputando se et socios consuevisse hic scriptor dicit, iisdem verbis in libello de facie lunae describuntur,[1]) ut huic dialogo, quamquam non ipse Plutarchus prodit atque frater disceptationem regit, eandem scaenam tribuendam esse arbitrer. Spatiandi fine in utroque opere etiam disputationis incisum indicatur, sed Hirzel hunc in modum Plutarchum omnes fere dialogos composuisse ratus, cum nimis quasi premat singula,[2]) ulterius progredi mihi videtur.

Non tam componendi, quam narrandi artem Chaeronensis novem libris *quaestionum convivalium* probavit. Sermonum enim centum circiter, quibus illos implevit, longe plurimos eum non effinxisse, sed cum vero convenienter rettulisse, ut personas, locum, tempus e memoria depromeret, mihi persuasi; nam tanta fide mihi in referendo videtur usus esse, ut, si colloquium minus memoria tenebat, scaenam omitteret atque, quae disputata essent, obliqua tantum oratione traderet; certe cum illo hoc concurrere velut in quaestionibus I 6—8, II 7—9 videmus. Sed etiam ubi conviviorum, in quibus omnes quaestiones fiunt, occasio editur, plerumque ob hanc unam causam eius certiores fimus, ut quomodo res, de qua disseritur, in medium prolata sit perspiciamus; quo fit ut finis, quem in aliis symposiis egregia cum arte ornatum

---

[1]) Non posse suav. viv. sec. Ep. 20 p. 1100 e: *ἐδόκει καταπαῦσαι τὸν περίπατον καὶ καθάπερ εἰώθειμεν ἐπὶ τῶν βάθρων καθεζόμενοι . . .* De facie l. 24 p. 937 C: *εἰ δοκεῖ, καταπαύσαντες τὸν περίπατον καὶ καθίσαντες ἐπὶ τῶν βάθρων . . .*

[2]) Cf. II p. 190, 198.

esse animadvertimus,[1]) hic semper fere silentio transeatur. Quaestiones convivales omnino nihil nisi partes conviviorum putandas esse inde quoque patet, quod saepius complures earum eidem convivio attribuuntur (cf. imprimis III 1—5, 7—9, IV 4—6, VI 1—6, IX 1—15). Tamen scaenarum non parva varietas conspicitur; Plutarchus, qui uno excepto (III 6) omnibus interfuit, convivia refert Athenis (I 1; 10, III 1—5, V 1, VIII 3, IX 1—15), Chaeroneae (III 7—9, V 8 s., VI 8, VII 7 s.; fortasse I 2 s., II 10, V 5 s., VI 7; 10,[2]) VIII 1 s.), Patris (II 1), Eleusine (II 2), Delphis (II 4 s., V 2, VII 2; 5), Hyampoli (IV 1), Elide (IV 2), Corinthi (V 3), Thermopylis (VIII 10), Aedepsi (IV 4 ss.), Romae (VIII 7 s.) a familiaribus atque cognatis apparata; maxima ex parte dies festi cenandi causam praebuerunt ut victoria a Serapione celebrata (I 10), Eleusinia mysteria (II 2), Pythia (II 4 s., V 2), Isthmia (V 3, VIII 4), Elaphebolia (IV 1), nuptiae Autobuli, Plutarchi filii (IV 3), natalis Platonis dies (VIII 1 s.); symposium Museis institutum, in quo omnes libri noni sermones traduntur collati esse, cum libatione, hymno alioque conviviorum apparatu uberius distinctum sit, par scriptis similibus priorum indices. Quaestio II 6 in horto ad Cephisum sito constituitur, quem fluvium Boeoticum, non Atticum sentiri Volkmann opinatur; ut hic spectatis ex arboribus, ita saepissime ex scaena, de quo disputetur, petitur (cf. I 10, II 4; 7, III 1; 7; 10, IV 3 s., V 3, VI 8, VII 4 s., VIII 1; 3 s.), id quod, quoniam quaestionum convivalium genus ita fert, nimia admiratione dignum non existimo. Cum res autem tum scaenas summi esse momenti ad cognoscendam Plutarchi vitam familiamque ac consuetudinem hospitiumque illorum temporum quis primo quasi aspectu non intellegat?

Quam mediocri arte Plutarchus in scaenarum tractatione fuerit, maxime in dramaticis dialogis apparet, quorum in nullo locum aut tempus clarius significavit, nedum pluribus describeret. In eo, quem inscripsit *περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι*, personas fabulosas, Ulixem atque Circen, dissertantes fecit, quibus paulo post porcus accedit, cui abeunte venefica dicendi et animalium vitam defendendi partes assignavit. Bestiae num in

---

[1]) Cf. imprimis Platonis ac Xenophontis symposia supra p. 156, 166.

[2]) Cf. R. Volkmann, Leben, Schrift. u. Philos. des Plut. v. Ch. p. 56 s.

dialogis prioribus loquentes iam inductae sint, non certo scimus;[1]) facillime vero id, quod in epicis carminibus, comoediis apologisque factum erat, et alii et Plutarchus, a quo adulescente opus illud confectum esse Hirzel (II p. 131) non sine specie veritatis opinatur, ad nostrum litterarum genus deferre potuerunt. — *Περὶ ἀοργησίας* liber et *Ὑγιεινὰ παραγγέλματα* nisi capite primo formam dialogi non habent. Participes prioris colloquii versari in Italia videntur, cum Sullam, postquam biennium afuisset, rursus Romam adisse et quintum mensem cum Fundanio esse audiamus (1 p. 453 ab); iter, quo sermocinandi occasionem offerri fortasse Legum Platonis exemplo fingitur, in praedium aliquod Fundani vel ex praedio susceptum esse suspicor. — *De tuenda sanitate praecepta*, quae Plutarchus dederit, ab uno ex sectatoribus non multo post communicari cum amico Chaeroneae ibidemque *de sollertia animalium* fieri disputationem, quippe quae ipsa quoque Plutarchi oratione dicatur excitata esse, a vero non abhorret.[2]) — De scripti, quod *περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν πρὸς τοὺς Στωικοὺς* inscribitur, theatro ne coniecturae quidem locus est neque aliter in quattuor capitibus, quae *περὶ ψυχῆς* ex opere relicta integrum dialogum minutum putes, omne scaenae indicium deest. Quae denique ex aliis reliquiis conici possunt de sermone die iudicii aliquo in Asiae oppido collato, tam incerta sunt, ut viri docti alius de alia urbe cogitaverint.[3]) —

Plutarchus, quantum iudicare licet ex dialogis, qui nostram ad memoriam manserunt, scaenarum artifex vix nominari potest. Sermones, quos dramatice composuit, omnino illo ornamento carent atque etiam in nonnullis generis diegematici, si incorrupti exstant, parum diligenter scaena notatur. Quod cum fortasse similiter atque apud Platonem excusationem senectutis habeat, alii dialogi a iuvene conscripti abundant apparatu scaenico actionibusque plenis delectationis, sed durius haec cum argumento librorum paene obruto conexa sunt. Proxime ad praeclara

[1]) Cf. supra p. 173.

[2]) Cf. Hirzel II p. 165, 174.

[3]) Haupt opusc. III 554 s. de Halicarnasso, Volkmann de Sardibus, Wilamowitz Herm. 40 (1905) p. 163 s. de Epheso.

exemplaria accedunt Pythici sermones, in quibus scaena tam bene ad rem accommodata est, ut mihi non videar errare, si augustum illum locum re vera talium disputationum causam fuisse suspicor. Magis etiam quaestiones convivales veritatis speciem prae se ferre, ut minimum in eis scriptoris excogitationi tribuendum sit, supra ostendi. Plutarchus igitur, quamquam priorum in auctoritate haud sane anxie versatus etiam novas atque proprias scaenas adhibuit, tamen, ut ego censeo, neque Platonem neque Ciceronem in dialogis ornandis consecutus est.

Amatorius liber, si quidem ab ipso non confectus est, tamen Plutarchi morem resipit. Aeque ac plurimi illius hic dialogus formam habet diegematicam: loco ignoto Autobulus, unus ex Plutarchi filiis, Flaviano ea refert, quae de concertatione in Helicone instituta a patre saepius audiverit. Qui — ut certiores fimus — cum uxore brevi ante ducta Thespias ad festum Amoris venerat huic deo propter discordiam parentum sacrificatum; ubi paucos dies moratus a sollemni turba in Heliconem ad Musas cum familiaribus confugit, quo loco etiam disceptatio de amore, utrum mulierum an puerorum melior sit, habetur. Pisias enim et Anthemion, hic patruelis, ille amator Bacchonis, adulescentis Thespiensis ab Ismenodora quoque vidua expetiti, — quam Pisias invidia persequitur, Anthemion iuvat —, iam prima luce ad Plutarchum ascenderunt et causam ad eum detulerunt (2 p. 749 b ss.). Sed inter disputandum subito amicus Pisiae equo citato advolat Bacchonem per Ismenodoram furto subductum esse nuntians (10 p. 754 e); ilico Pisias non leviter confusus proficiscitur nec multo post Anthemion ad Ismenodoram avocatur (13 p. 756 a). Omnes dein secutos esse, quod tum narrari opus erat, lacuna videtur intercidisse;[1] nam appropinquantibus iam Thespias quendam occurrere et, postquam omnibus reconciliatis nuptias adornari rettulit, quam maxime ut properent, hortari dialogo extremo (26 p. 771 de) legimus. Tam crebro personis prodeuntibus et abeuntibus cui cum Varronis sermonum tum convivii septem sapientium atque de genio Socratis libelli memoria non afferatur? Sed longe aliter atque in illis actio

---

[1]) Cf. Hirzel II p. 235_2.

nostri dialogi cum argumento copulata est, ac cum festivum quoque tempus aptum disputatoni de amore instituendae inveniatur, quicumque scriptum fecit, superare artem Plutarchi iuvenis concedas.

Alienum a Plutarcho esse opus *de musica* conscriptum mihi ipsa ratione referendi videtur apparere. Quod enim in dialogis illius, quantum nos scimus, nunquam factum erat, colloquium — secundo Saturnalium die ab Onesicrate cum Lysia et Sotericho, quos ille convivio exceperat, collatum (2 p. 1131 c) — a scriptore, qui ipse non adfuerat, historici in modum enarratur.[1]) An formam, quae tantopere recedit ab arte atque more componendorum dialogorum, Plutarchi adulescentiae[2]) tribuamus? Relatio ipsa modice ornata est; cena ac quae eam sequi solent, perbreviter transiguntur missisque ambagibus auctore Onesicrate convivae artis musicae historiam et usum persequuntur. Ad extremum hymno atque libamento Saturno liberisque eius una cum deis reliquis et Musis solutis convivium dimittitur (44 p. 1147), quod Weil et Reinach[3]) Chaeroneae, Hirzel (II p. 237) Romae apparatum esse causis mihi non probatis suspicantur.

6. De reliquis dialogis Plutarchi fere temporibus conscriptis.

In Plutarchi tempora incidere dialogum a Iunco quodam *περὶ γήρως* scriptum Hirzel II p. 252 s. opinatur, qui eis, quae de scaena huius sermonis coniectura assecutus est, mihi non persuasit. Ex loco in Stobaei florilegio[4]) servato, quo molestiae

---

[1]) Cf. Xenoph. Hieronem supra p. 167.

[2]) Weil et Reinach introduct. p. XXIII ss. opus de musica primum a Plutarcho exaratum esse censent, quibus Schmid (Christ. Gr. L. II 1[5] p. 375 s.) videtur assentiri.

[3]) l. l. p. XXIX ss.

[4]) IV p. 84, 31 ss. Mein.: *εἴτε δὲ* [sc. *γέρων*] *θαρρήσει προελθεῖν εἰς τὴν ἀγοράν, γέλωτα τοῖς ὁρῶσι παρασκευάζει, βλέπων τε οὐκ ἀκριβὲς καὶ βοώντων οὐκ ἀκροώμενος καὶ πειρώμενος ἑαυτὸν διακομίζειν καταπίπτων σφαλλόμενος, θλίβειν λεγόμενος καὶ ἀφανίζειν τὸν κοινὸν τῆς πόλεως ἀέρα· οὔτε γαρ εἰς τὸν ἀριθμὸν τῶν φυλετῶν ἐν ἐκκλησίᾳ παρὼν τάττεται, οὔτε μὴν ἀρχῆς οἷός τέ ἐστιν προΐστασθαι* ...

senectutis describuntur, quod Atheniensium contiones numquam sint in foro habitae, Romae versari colloquentes conicit. Sed incorrupte verba examinantem, quid in hac conclusione imbecillum sit, non puto fugere. Minime enim *ἀγοράν* et *ἐκκλησίαν* opus est coniungere, potius nil nisi senem in strepitum, qui semper est in foro, prodire ausum propter inopiam irrideri onusque civitatis inutile vocari, quoniam nec suffragium ferre in contione ei liceat nec magistratum possit gerere, dici existimo, ut hac quidem in re non habeas, cur Romae factum esse colloquium, quod coram aliis[1]) a sene atque iuvene habetur, tibi ponendum sit; sed reliquis quoque Hirzelii argumentis (II 252_3) illud parum mihi videtur comprobari.

Pariter incertum est, ubi terrarum sermo institutus sit, qui libro, qui inscribitur Cebetis tabula, tenetur. Scriptor enim, quem primo circiter p. Chr. n. saeculo fuisse Praechter[2]) probavit, tantummodo se templum aliquod Saturni cum aliis invisentem tabulam mire pictam inspexisse et ab sene ignoto, quid illa significaretur, certiorem factum esse narrat vel — quod rectius dicatur — fingit. De loci ac rei congruentia aliquid efficere Hirzel (II p. 257_1) — haud scio an prospere — contendit.

Musonii Rufi atque Epicteti, qui illo magistro usus erat, in dissertationibus a Lucio et Arriano sectatoribus memoriae proditis veri dialogi perpauci inveniuntur, qui, quod prodentes nihil scaenae tribuerunt, omni ornamento carent. Arrianus ne nomina quidem interlocutorum edidit neque amplius quam oportebat ad occasionem disputandi intellegendam mores aut condicionem eorum adumbravit; tamen sermones, in quibus omnibus historicum referendi genus adhibetur, maximam partem Nicopoli habitos esse domi Epicteti ex ipsis exordiis inter se simillimis conficias.[3])

Gellii quoque viginti libris *Noctium Atticarum* aliquot colloquia insunt, quae quamquam minutula atque interdum a scriptore supplemento aucta sunt, tamen in numero dialogorum

---

[1]) Cf. O. Hense, Teletis rel.[2] p. LXXXIX_1.

[2]) Ceb. tab. quanam aetate conscripta esse videatur (Diss. Marb. 1885).

[3]) Cf. II 14: *Εἰσελθόντος τινὸς τῶν Ῥωμαϊκῶν,* III 1: *Εἰσιόντος τινὸς πρὸς αὐτὸν νεανίσκου*, III 7: *Τοῦ δὲ διορθωτοῦ εἰσελθόντος πρὸς αὐτόν*, III 9: *Εἰσελθόντος δέ τινος πρὸς αὐτόν.*

ducere non vereor. Disputationes, quibus plerumque in vocabula inusitata inquiritur, a Gellio referuntur, qui omnibus interfuit; quanto autem plenius Arriano occasiones, quibus illae ortae erant, explicavit! Venustissime, quo sale puer Atticus in cena apud Taurum philosophum Athenis apparata convivas oblectaverit atque sermonem moverit, narratur (17, 8); aliud colloquium (16, 6) Brundisii, aliud (18, 1) in litore Ostiensi sub aestivum vesperum initur tenebrisque se intendentibus finitur. Plurima vero Romae fiunt, ubi scriptor ac familiares exeunte hieme ad balneas Titias ambulantes ex Sallustii Catilina (3, 1) vel in foro sedentes (16, 10) ex Ennii libris rem, de qua disserant, decerpunt; alio tempore in foro Traiani spatiantibus aspecta inscriptione quadam disceptandi offertur argumentum (13, 25), vel in campo Agrippae sermo grammaticorum litigantium captatur (14, 5); sermocinantes modo in libraria apud Sigillaria sita (5, 4; cf. 13, 31), modo in bibliotheca domus Tiberianae (13, 20) commorantur atque etiam pars convivii sub urbe in rusculo quodam instructi nobis pingitur (19, 9). Complures sermones in Palatino conferuntur, dum exspectatur salutatio Caesaris (4, 1; 20, 1; cf. 19, 13), alii Frontonis domi ex pedibus laborantis (2, 26; 19, 8, 10), qui velut 19, 10 cum fabris de novis balneis aedificandis deliberans atque membrana, in quibus forma illarum picta erat, visens inducitur; in duobus tantum (6, 17; 12, 13), nisi quod Romam theatrum esse sermonis memoratur, de loco nihil accuratius audimus. Scaenis hoc modo media e vita sumptis edocemur, quantopere grammaticorum studia tum viguerint, cum causae inquirendi undique petebantur; quin enim narrationes pariter atque Plutarchi quaestionum convivalium cum veritate conveniant, qua fide erat Gellius omnibus partibus, vix dubitari potest.

7. De Luciani arte scaenica.

Luciani dialogis tantum abest ut verum exprimatur, ut plurimis eorum ne similitudinem quidem veri concedas. Qua re mihi videtur etiam factum esse, ut, quoniam in genere diegematico, qui narrat, narrata quodam modo praestat, ille multo maiorem sermonum partem dramatice componeret nec, quoscumque

rettulit, — Nigrino dialogo excepto — in suum, sed in alienum quamquam perlucidum nomen reciperet.[1] Samosatensis in sermonibus videmus primis deos et eos illudendi causa sermocinantes factos esse; quae colloquia tam insolenter finxit, prima nunc tractentur.

Tragoediam Aeschyli secutus *Prometheum* dialogum conscripsit, qui constitutus est in Caucaso; eodem loco primum ex colloquiis deorum fit, quo Promethei liberatio agitur. Ceteri *Θεῶν διάλογοι,* quibus itidem nil nisi notae fabulae inclusae sunt, caelum theatrum habent sermone vicesimo excepto, quo Paridis iudicium continetur; in hoc enim tres deas pulcherrimas Mercurio duce ex sede superorum in Idam montem comitamur, quo itinere solis devolantium verbis illustrato ars Luciani rebus singulis scaenam significantis magnopere elucet.

Ἐνάλιοι διάλογοι a dis marinis conferuntur, semel (8) etiam delphini participes colloquii exsistunt. Scaenae, praeterquam quod sermone sexto comperimus Amymonam a Neptuno, qui delphino advectus est, ad Lernam rapi, omittuntur.

Nec magis aperte dicitur, ubi *ecclesia deorum* habeatur. Ad inferos contra deduceris *dialogis mortuorum*, quos omni robore, forma, honoribus exutos pingens documento esse vanitatis vitae humanae scriptor voluit. Hic quoque raro scaena diligentius editur: prope introitum Orci versantur colloquentes in sermone 27, in 10 in ripa et transgressu Acherontis.

Eadem scaena est libelli, qui *Κατάπλους ἢ Τύραννος* inscribitur. Mercurius enim catervam mortuorum, quos Clotho nobis accuratius describit (3), secum ad Acherontem ducit, cuius in transitu Micyllus sutor, quod nimis referta est cumba Charontis, in umeris tyranni debet sedere (18 s.); ab eodem valde tenebricosum esse locum certiores fimus (22). Portorio soluto de umbris ad Rhadamanthum ductis fit iudicium, in quo etiam lectus et lucerna tyranni citantur, ut contra ipsum testimonium dicant (27).

Secus in *Charonte* libro portitor inferorum ad ea loca, quae mortales incolunt, ascendit, ut quid ab illis ageretur ipse perspiceret (1). Cum Mercurio, quem ducis loco consecutus est,

---

[1]) Cf. Hirzel II p. 277, 306_3.

Ossam et Pelium et Oetam et Parnassum bicipitem exstruit in Olympo (4 s.), qua ex specula eos non solum omnia videre, sed etiam omnia audire velut colloquium illud Solonis atque Croesi (10 ss.) fingitur.

Non minus monstruose *Vitarum auctio* ficta est; ab Iove enim Mercurio praecone, quos deos ad homines, fortasse ad Athenienses descendisse oportet cogitare, imagines sectarum philosophorum specie humana indutae veneunt. Qui Pythagorae causam suscepit, comatus praeditusque aureo femore describitur (6), Cynicus squalidus pera et obsoleto pallio affectus (7 s.), alii aliter; nullum philosophorum genus scriptor asperis facetiis non irridet ac ne Socratis quidem integritati parcit (15).

Quem librum ut defenderet, in *Piscatore,* qui dicitur, se ipsum sub nomine Parrhesiadis induxit. Hunc philosophi ira accensi, qui brevi commeatu sumpto escenderunt ab inferis, in Ceramico (13) Atheniensi lapidibus cooperturi sunt, sed paululum placatis ut in arcem iter vertentes ad Philosophiam deferant arbitrium, quae forte fortuna multis comitibus stipata advenit, ille persuadet, ac postquam deam adorarunt, in vestibulo Minervae subselliis apportatis considunt (21). Eodem Parrhesiades, ut facti sui rationem probet, falsos philosophos, in quos solos ait se invectum esse, convocat (42), sed omnes fere in iudicium se venisse certiores facti quam celerrime aufugiunt, qua in re Cynici cuiusdam, cuius in pera relicta aurum atque murra, speculum ac tesserae inveniuntur, luxuria salse detegitur (45). Deinde reus, ut nonnullos reprehendat, hamum e donariis ab antistita Minervae commodatum, cui ficos atque auri aliquantulum affixit, e muro demittit (47 ss.), ac re vera aliquot, qui piscium varias formas videntur induisse (cf. 50), capiuntur, sed a principibus sectarum abdicati saxo depelluntur. Hoc modo omnibus purgatus Parrhesiades, cum Philosophia in vitam revocatos de reditu monens decedat, una cum Elencho iter philosophos experiendi causa iis mandatum (46) ingreditur.

Aliam scripturae suae defensionem libro, qui *Δὶς κατηγορούμενος* inscriptus est, inclusit. Aeque atque in iudicio Paridis initio res in caelo agitur, unde Iuppiter nuntium deorum cum Iustitia demittit, ut lites veteres potissimumque eas, quas litterae et artes in homines quosdam intulerint, ad finem denique

perducant (3 s.). Rursus descensus nobis pingitur: Sunium sub dextra relinquentes in arcem Athenarum cursum deflectunt, ex qua Mercurius, dum comes incidit in Pana atque cum eo loquitur, diem iudicii fore in Areopago Elaphebolionis ineuntis septimo pronuntiat atque etiam Aeacum reos interim mortuos iubet remittere (9 ss.). Postquam conventum est, iudicium ex more exercetur: litigantes evocantur, utraque pars auditur, clepsydra atque suffragium adhibentur. Compluribus causis diiudicatis in Syrum quendam — quem ipsum esse Lucianum dici non oportet — ab arte rhetorica et a dialogo simul incusatum agitur, sed bis omnibus fere sententiis causam obtinet (25 ss.).

Pari modo, sed non pari arte Lucianus librum, quem inscripsit *Fugitivos*, composuit. Ad Iovem et Apollinem de insolenti Peregrini morte voluntaria non multo ante Olympiis facta colloquentes Philosophia accedit, quae de falsis philosophis, propter quos a terra fugerit,[1] flens queritur (3). Quos ad puniendos Apolline auctore Mercurius et Heracles et Philosophia emittuntur, qui sine mora Thraciam petunt. Iucundissime deinde, quomodo delabentium in conspectum veniant Rhodope et Haemus montes ac postremo urbs maxima ad Hebrum sita, pingitur (25). Prope hanc urbem, quam quod Philippum condidisse Hercules dicit, Philippopolim esse cognoscimus, terram ingressi brevi incidunt in paucos, qui se tres planos et mulierem investigare aiunt. Tum — quamquam de ea re nihil adhuc audivimus — eosdem a se indagari Philosophia respondet et Mercurius — a nullo, quantum nos videmus, certior factus — servum Sinopa Paphlagoniae ortum requiri praemandatis pronuntiat, quo facto aliquis adstantium Cantharum servum suum sentiri animadvertit (27 s.). Subito Orpheus lyram gerens adest, sed domum proxime sitam incoli a quaesitis nuntio allato rursus tollitur (29). Appropinquantes ad illam versus Homericos a muliere quadam intus recitari iam exaudiunt nec multo post excedunt ipsi fugitivi, quibus a dominis receptis poenas Mercurius irrogat. Dialogum

[1]) Quod scriptor ex Hesiodi ἔργ. κ. ἡμ. v. 197 ss. videtur assumpsisse; simillima res ficta est a Theodoro Prodromo (cf. C. Praechter, Byz. Z. 19 [1910] p. 315) et in idyllio quodam saec. XV (cf. J. Sturm, Byz. Z. 10 [1901] p. 437 v. 41 ss.).

a Luciano in adversarios tum minime ignotos scriptum esse, ut multa, quae obscura nobis sunt, illa aetate melius sint percepta, constat;[1]) tamen leviter opus confectum et imprimis in rebus copulandis parum curae consumptum esse quin concedas vix facere poteris.

Timone dialogo scriptor in scaenarum tractatione aliquantum progressus est. Iterum dei hominesque prodeunt, nec vero nunc in caelo, nunc in terra res geritur, sed duae scaenae simul nobis offeruntur: ex campo Attico Hymetto monti subiecto, ubi terram fodit, Timon, vir liberalitate sua ex divite pauper et ex fautore osor hominum factus, magna voce Iovem probris vexat; Iuppiter in caelo ad clamorem eius animum intendens, postquam ex Mercurio rem quaesivit, illi divitias reddere constituit. Quam ad rem Plutus, qui caecus esse dicitur, descendere ad illum cum Mercurio iubetur, sed — Paupertate cum comitibus remota — non facile ut recipiatur efficit (31 ss.). Ubi dei ex oculis rursus elapsi sunt, Timon in fodiendo, ut praedictum erat, in magnum incidit thesaurum (40 s.), cuius iam nullum facere participem consilium capit. Itaque cum paulo post, quasi inventum senserint, qui prius familiares eius fuerant, accurrant, alium post alium pala repellit ac denique in collem propinquum evadit, ut novam turbam advenientium iactis lapidibus salutet.

Etiam elegantius scaenam duplicem Lucianus in sermone, qui *Iuppiter tragoedus* inscribitur, adhibuit. Deorum principem fingit sollicitum et anxium esse de exitu disputationis, quam de deis institutam, postquam pridie praeciderunt, Damis et Timocles in Varia porticu Atheniensium brevi persecuturi sunt (4; cf. 32). Mercurio auctore concilium deorum advocatur, in quo singuli ex pretio statuarum collocantur, quae iis ab hominibus positae sunt (5 ss.). Sed nihildum effecerunt, cum ab Hermagora, ut est statua eius prope Variam porticum, iniri iam disceptationem nuntius affertur (33). Tum Iuppiter, ut ipse cum deis reliquis dimicationem excipiat, dimotis nubibus Horas aperire caeli portas iubet, quo facto iucundissime et quae philosophi certantes coram non parva multitudine dicant et quae dei ancipiti in spe periculoque versati de illis sentiant, uno tempore audimus; quin etiam

---

[1]) Cf. vero J. Geffcken, N. Jahrb. f. d. kl. Alt. 14 (1911) p. 481 s.

quomodo illi in terra voce atque gestu agant et quomodo colloquium — non ita prospere deis — finiatur, ex verbis Iovis intuentis cognoscimus, ut hunc dialogum specimen praeclarissimum Luciani artis scaenicae existimem.

Libellus contra, qui ex *Iove* a Cynisco quodam *confutato* nomen cepit, non est scaena instructus. Hirzel (II p. 322) Icaromenippi c. 25 nixus colloquentium alterum in caelo, alterum in terra esse sibi persuasit, cui ego non assentior. Neque enim illo neque alio loco vere colloquium hoc modo fieri Lucianus fecit, sed semper, si omiseris Menippum ad deos insolenter profectum (cf. infra), immortales ad homines descendunt. Quod factum esse nostro quoque in dialogo ut credam[1]) eo magis moveor, quod etiam in sermone a Saturni sacerdote cum ipso deo *Saturnalibus* collato, in quo locus pariter non definitur, deum adesse atque conspici et sacerdotem, ut festum suum potando tesserisque ludendo secum agitet, hortari fingitur (cf. 6; 9).

Dei ipsi loquentes iam non inducuntur duobus in eis dialogis, quibus Lucianus Menippea exempla videtur imitatus esse. In eo, cui *Μένιππος ἢ Νεκυομαντεία* nomen est, scriptoris ille popularis Lebadiae, ubi indutus pilleo, lyra pellique leonina per antrum Trophonianum modo ad lucem rediit, quo pacto venerit ad Orcum et quae ibi viserit, Philoni familiari narrat. Idem in altero, in *Icaromenippo*, amico cuidam, a quo stupefacto secum loquens interpellatus est, iter per aëra ad deos factum refert; quod fieri Athenis intellegitur potissimum ex cap. 34, quo pridie sub vesperum se rursus devenisse in Ceramicum et nunc confecta narratione in Variam porticum se abiturum esse Menippus dicit.

In dialogis contra similitudinem veri confictis denique est *Somnium vel Gallus*. Micyllum sutorem media nocte nondum praeterita a gallo, qui eodem in cubiculo in pertica sedet (16), canente ex somnio iucundo suscitari, aegre ferenti autem gallum humana voce respondere legimus. Avis, quae specie hominum ordinis diversissimi prius indutam se fuisse narrat, mederi avaritiae

---

[1]) Nec quae R. Helm (Luc. u. Men. p. 116) disseruit, qui aliqua ratione Cyniscum ad deorum domicilium pervenisse opinatur, deicere me de sententia possunt.

domini studet atque, quo melius id procedat, postremo Micyllum pennam e cauda extrahere iussum (28), qua omnes fores nullo negotio aperiret, ad eos ipsos, quorum divitiis ille invidet, Simonem, Gniphonem, Eucratem deducit, qui quam non felices sint perspiciuntur. Ut aliis sermonibus nox appropinquans, ita huic prima lux finem imponit (33).

E reliquis dialogis more dramatico compositis et *Toxaris* et *Anacharsis* in antiqua tempora collati sunt. In illo Toxaris Scythes atque Mnesippus Graecus exempla, quibus amicitia illustretur, inter se communicant loco, praeterquam quod in Graecia versari colloquentes comperimus (63), non accuratius edito; ex cap. 60, quo multos Amastrianos adesse, qui rei enarratae testes sint, Toxaris dicit, Wieland (Luc. op. vers. t. 4 p. 72 $_{52}$) Athenis, in emporio maximo Graeciae, colloquium haberi haud scio an iure suspicatus sit. In altero, quo de gymnasiis agitur, scaena et ea maxime ad rem aptata satis fuse picta est. Athenis enim ipso in gymnasio, quod Lyceum esse ex statua *Ἀπόλλωνος τοῦ Λυκίου* plene descripta (7) intellegimus, iterum cum familiari Graeco, Solone, Scythes confabulatur. Qui, Anacharsis nomine, quaecumque videt in gymnasio et imprimis iuvenes luctando et pancratio corpus exercentes, cum nativo quodam lepore ac simplicitate, ut oculis omnia videamur cernere, depingit (1 ss.). Mirantem, cur tantopere adulescentes frustra enitantur, Solon usum rei palaestricae edocet, qui statim exemplo planus fit; nam cum ille, qui morem hospitis secutus domi pilleum reliquit, solem canicularem moleste ferens umbrosum locum circumspiciat, Atheniensis palaestra corroboratus fervida Phoebi iacula facile excipit (16). Considunt igitur seorsum a tumultu luctantium atque acclamantium loco opaco in saxeis sedilibus (18), ubi — disputatione de adulescentibus Scytharum educandis in diem posteram dilata — colloqui pergunt, donec advesperascit (40). In hoc quam non conveniat cum veri similitudine, quod, cum in cap. 16 atque etiam 25 tempus meridianum dicatur esse, tam celeriter diei aestivi vesperum appetivisse fingitur, satis adhuc notatum non existimo.

Meretriciis dialogis scaenae omnino fere desunt. Raro sermonis locum coniectura licet assequi velut in nono, qui etiam actione quadam insignis est, quo domum Pannychidis, et in undecimo, quo in Charmidis cubiculum tempore matutino ducimur;

sed omnia haec colloquia, quibus — fortasse e comoediis decerptis — mores Graecorum minime ornantur, si Athenis fieri conicias, a veritate multum non deflectas.

Item ceteri sermones dramatici cum vero magis congruenter conformati, quorum omnium se ipsum participem scriptor induxit, partem maximam exili apparatu scaenico instructi sunt. Uno in *Nigrino*, quod supra memoravimus, suo nomine Lucianus usus est, qua re, praesertim cum alia accedant,[1]) argumentum huius dialogi non plane commenticium esse credas. Samosatensis, quem non multo ante Roma revertisse comperimus, familiari orationem a Nigrino philosopho illic auditam narrat; quod fieri in Italia, quoniam a colloquentibus Roma ne semel quidem nominatim, sed *πόλις* usque appellatur, contra Hirzelium, qui (II p. 293) de Graecia videtur cogitare, censeo.[2])

Nullum loci indicium invenitur in dialogo *de parasito*, in quo Tychiadis personam scriptor induit, neque in plurimis eorum, in quibus Lycini nomen assumpsit: *de saltatione*, *Cynicus* — cuius vestitus verbis adversarii describitur —, *Pseudosophista* libri scaenis carent neque, ubi *disputationem cum Hesiodo* multa iam ante saecula exstincto habeat Lycinus, aperitur. *Imaginum* quoque, quibus formosa mulier Smyrnaea illustratur, atque dialogi *pro imaginibus* conscripti incertum est theatrum; Athenas, si quomodo mentio earum inferatur (Imag. 4) legeris, spectandas esse non putabis.

Potius de *Hermotimo* hanc coniecturam feceris; in quem librum ferentem ac secum commurmurantem (1), ut ad magistrum tendere perspiciatur, Lycinus incidit et scholam non fore tabella super vestibulum magistri suspensa promulgari certiorem factum postquam de philosophia disputatione implicavit, ab illa penitus avertit.[3])

---

[1]) Cf. Hirzel II p. 292.

[2]) Quod in hac re idem sentio cum Hasenclevero (Üb. Luk. Nigr., Progr. Maximilian. gymn. Monacens. 1908, p. 6) cuius non omnes amplector opiniones, gaudeo; idem (p. 16) Nigrini museum (2) simillime depingi ac Socratis in Aristoph. Nub. v. 200 ss. bene admonuit. Cf. etiam Th. Litt, Mus. Rh. 64 (1909) p. 98 ss.

[3]) Eadem fere scaena in *Xenedemo*, Theodori Prodromi dialogo (cf. Krumbacher, Byz. Lit.[2] p. 758), conspicitur, in quo Xenedemus

Similiter *Lexiphanem* offendit, ut in libro ab eius nomine appellato fingit, scriptum manu tenentem, quod Platonis Symposium aemulatus composuerat. Cuius partem recitare iussus ille, quomodo ipse cum nonnullis familiaribus circa meridiem (4) in Lyceum se contulerit atque eodem loco exerciti et lauti cenam e collationibus inierint (6), in qua ne psaltria quidem neque saltatrix neque αὐτεπάγγελτοι desiderantur (8 s.), pronuntiat; contorta autem conformatione verborum quasi helluantem Lycinus indignabundus interpellat et medico cuidam forte intervenienti sanandum tradit (18), qui statim medicamine vomifico illum sermonis pravitate levat.

Athenis *Eunucho* quoque libro collocamur; Lycinus enim ex foro veniens atque risu emoriens Pamphilo amico litem refert, quam se praesente duo philosophi de una ex cathedris ab imperatore colendae philosophiae gratia constitutis modo oraverint.

Affaberrime autem in dramaticis dialogis persona Lycini insignibus scaena *Navigii seu Votorum* exornata est. Lycinus et Samippus in Piraeo Timolao obviam fiunt, qui ipse quoque navis cuiusdam magnitudine notabilis visendae causa ex urbe descenderat ac quocum Athenas redire placet. Sermone proficiscentium permulta de navigio, unde appellatus est libellus, resciscimus; non magna parte viae hoc modo confecta Adimantum, quem navigium visentes a conspectu amiserant, in cogitatione defixum adipiscuntur (10). Quem eis, quae de navi repperit, commotum in votis somniisque versatum esse postquam audiverunt, ne sentiant longitudinem itineris, quid quisque maxime cupiat, in medium proferat decernunt (16). Quo pacto Adimantus divitias immanes, Samippus regnum atque gloriam pugnis

---

se adulescentem, cum ad magistrum properaret, a Theocle quodam obviam sibi facto, ut valere iuberet praeceptorem, commotum esse refert. Quae convenientia mihi etiam coniecturae locum videtur dare. Quod enim in utroque opere studiosus philosophiae ex ea re, quod librum fert, agnoscitur, praeterea vero ἐν χείλεσιν ὑπόψηλμα fuisse Xenedemo dicitur (J. A. Cramer, Anecdota Graeca III p. 206), huic voci, quae in lexicis non invenitur, lumen adhiberi puto verbis de Hermotimo congruenter editis (1): τὰ χείλη διεσάλευες ἠρέμα ὑποτονθορύζων, ut ὑπόψηλμα habere vim submurmurationis colligam; quamquam unde ducendum sit verbum, cui forsitan scriba mendum intulerit, admodum haereo.

paratam, Timolaus anulos viribus magicis affectos optat; Lycinus facetissime omnes illudit et iterum ac saepius animos revocat ad praesentia; velut cap. 35, quamquam dextro cornu exercitus Samippi regis praefectus est, quid ei videretur de pugna apud Babylonem committenda interrogatus, ut de via fessi hora meridiana paululum propinquis sub olivis in columna eversa requiescant et refecti petere Athenas pergant, neglecta confictione suadet. Ipse quid concupiscat edere recusat, quoniam abusis reliquis eo spatio itineris, quod ipsi fuerit ad somnia fingenda attributum, ad Dipylum iam ventum sit (46). Res igitur et scaena, cum ex hac illa non solum oriatur, sed etiam finem capiat, magna cum arte ac tamen simpliciter conexae sunt nec propter reliquam urbanitatem dubito opusculum in iucundissimis libris in hominum stultitiam scriptis numerare.

Restat ut paucos dialogos, quos diegematice confecit Lucianus, perlustremus. Ac primum quidem *Philopseudes* non ita multum habet scaenici ornatus; Tychiades, quo nomine rursus scriptor se occultat, loco ignoto Philocli amico sermonem narrat, cui apud Eucratem philosophum modo interfuit (5). Relatio autem rebus singulis distincta est, quibus quam egregie Samosatensis homines acute observatos pingat, exempli causa ostendatur. Non insulse, cum Leontichum quaerens ad Eucratem venisset, hunc podagrosum se intrante vocem prius sublatam depressisse in modum aegrotorum Tychiades tradit (6) nec minus luculenter, quantopere illius filii postea ingressi (27) fabulis allatis icti sint, exponit. A miris enim podagri medicamentis orsos eos, qui adfuerint, certatim monstra et mendacia confinxisse atque Eucratem introitu filiorum incitatum ne mortuae quidem coniugis visum mentiri dubitasse; quod ut firmaret etiam loco indicato, quo illa in lecto consedisset ac quem Eucratides, minor filiorum, tum in coetu obtineret, hunc, adulescentulum quindecim fere annorum, iam dudum tali narratione pallentem statim illius verbis pueriliter cohorruisse (27). Cum Arignotus quoque deinde iniens (29) cum nugatoribus fecisset atque etiam sermo de oraculis illatus esset, se ut Leontichum alibi quaereret, abisse.

Ut Philopseudes fabulis, ita *Symposium* Luciani actionibus abundat, quas omnes si enumerare velim, totum fere dialogum oporteat transscribere. Loco iterum incerto Lycinus cum Philone

communicat convivium, de quo ab Aristaeneto pridie ob nuptias filiae apparato ille nonnulla iam acceperat. Inter convivas plurimos philosophos ex omni genere adfuisse audimus, quos ad deridendum scriptor quam maxime proponit. Imprimis Alcidamas Cynicus ludibrio habetur, qui postquam invocatus venit, omnium animos modo offendit (cf. 16; 35; 45 ss.), modo — velut cum luctatur cum scurra ab hospite arcessito (19) — invitus oblectat. Non minus mores reliquorum philosophorum narratione rerum, quae nequaquam honeste ab iis gestae sunt, exagitantur (9; 11; 15; 33; 42 ss.); simultas eorum iam epistula, quam Hetoemocles quidam ad epulas non invitatus miserat, lecta in lucem prodiit (21 ss.), sed ad extrema avaritia Zenothemidis perventum est. Nam cibis, quos domum auferre convivae solebant, appositis ille, quod Hermonis iuxta sedentis avem pinguiorem esse videt, eam arripere conatur, sed cum Hermo suum defendat, manus conserunt auxiliumque ab amicis petunt. Quibus intervenientibus oritur maxima confusio et pertubatio; lucerna insuper eversa ab Alcidama non multi aut consortium pugnae aut expertium, in quibus sponsus, sine vulnere discedunt Dionico medico, qui inter cenam venerat (20), saucios quam optime curante. Sed etiam tunc Hermo, cui ipsi aliquot dentes elisi sunt, non potest contineri quin Zenothemidi oculo altero et naribus privato ac magna voce idcirco lamentanti probet non esse *ἀδιάφορον* dolorem. Totum — ne longus sim — convivium, quod tam male participibus evenit, tanta frequentia factorum ac tanta dicacitate excellit, ut, praesertim cum sermones humanitate politi frustra incohentur (39), magis comoediam oratione narratam quam dialogum te legere rearis.

Adicio dialogum, qui *Ἔρωτες* inscribitur, quamquam, num sit Luciani, in disceptatione adhuc versatur. Lycinum atque Theomnestum festum Herculis agentes ex matutino tempore iam colloqui de rebus amatoriis fingitur, in quibus quaestionem quoque iam inveteratam, mulierum an puerorum amor praeferendus sit, in medium proferunt (1 ss.). Hanc ad illustrandam Lycinus amico e regione sibi sedenti (5) disputationem refert, cui ipse quondam Cnidi institutae interfuerit. Quomodo venerit in illum locum, quo aptior tali sermoni vix ullus reperiri poterat, fuse ac paene nimis fuse narrat; in Italiam iter facientem Rhodi prope Bacchi templum se in Callicratidam Atheniensem atque

Chariclem Corinthium incurrisse, quibuscum sibi vetus usus atque consuetudo intercesserit, hunc feminini, illum masculini generis fautorem, quod etiam e conviviis in eadem insula ab eis apparatis intellegitur (cf. 9 ss.); unde vela omnes Cnidum direxisse, ad quam leniter appulsos, postquam reliqua visenda spectavissent, ad templum Veneris aggressos esse (11). Hoc variarum arborum frondibus opacatum, quibus cupressi, myrtus, laurus immixtae erant, cum hedera ad unamquamque arrepsisset densisque vitibus penderent uvae crebrae, et odoribus completum perquam suaviter describitur nec minus ipsum deae simulacrum, quod in parte interiore collocatum amici et a fronte et a tergo inspiciunt (12 ss.). Qua in re ubi a custode quadam templi rem insolenter gestam audiverunt, vetus controversia, ut accipimus, denuo a Callicratida et Charicle infertur; quam ut in perpetuum diiudicent, templo turbaque venerantium relictis loco umbroso ad quietem comparato, in quo cicadae ex arboribus dulciter strepunt, Lycino auctore considunt (17 s.). Qui dum iudicis praeferens vultum mediam sedem tenet, sortitione facta prior Charicles, deinde Atheniensis verba faciunt, quorum in orationibus identidem locus Veneri sacer respicitur Venusque ipsa invocatur (cf. 19; 27; 30). Ne vultus quidem litigantium Lycinus praeterit silentio (cf. 19; 29; 30; 52); postremo cum iam tempus revertendi ad navem adfuisset, disputationi finem se imposuisse prodit Callicratidae, amoris puerorum cultori, assensum (50 s.). Quod arbitrium comprobat Theomnestus, qui perspicuitate narrationis captum se Cnidi versari sibi visum esse, ut domunculam praesentem praeclarum illud templum existimaret, suo iure dicit; idem dialogo extremo, ut in forum eant, in quo fore ut rogo incenso Herculis memoria in Oeta monte combusti renovetur, Lycinum admonet (53 s.). —

Lucianus igitur, qui ante eum formam dialogi adhibuerunt, omnes varietate scaenarum superavit. Deos et homines induxit, umbras et bestias atque etiam res inanimas loquentes fecit, virtutes vitia artes litteras specie humana induit; nunc superorum, nunc inferorum sedes theatrum est sermonis, in Caucaso, in Ida, in Olympo montibus, in mari collocamur, in Italia Thracia Boeotia Attica, saepissime Athenis conferuntur colloquia. Hanc

varietatem non minima ex parte variis e fontibus repetere licebit, quibus Lucianus usus est.

Inductione mirabilium personarum et scaenis fabulosis videtur maxime Menippum Cynicum secutus esse, cui quantum omnino debeat, R. Helm [1]) exponere temptavit. Non semel eaedem inscriptiones vel persimiles — velut Concilium deorum, Necyia (cf. supra p. 173) — apud utrumque conspiciuntur atque duo sermones etiam ab illius nomine appellatos esse vidimus. Ab eodem scaenam duplicem, qua, quae fiant apud homines et apud deos in illos intuentes, simul cognoscuntur, Lucianum mutuatum esse Geffcken (N. Jahrb. f. d. kl. Alt. 14 [1911] p. 477, 479_3, 486 s.) opinatur, sed argumentum — id quod ipse fatetur — nullum attulit. Mihi probabilius videtur illum, ut permulta ad eos libros componendos, in quibus dei prodeunt, Homeri ex carminibus assumpsit, ita hoc quoque artificium inde deprompsisse; certe locis, quales exstant velut Iliad. XX 144 ss. vel XXII 165 ss., facillime ad id adduci poterat. — Comoediam se coniunxisse cum dialogo, cui gratiam hominum recuperaret, Samosatensis ipse ait (Bis. acc. 35), ac re vera plurimi sermonum eius magis ad oblectandum quam ad edocendum comparati sunt; nonnulli morem comoediarum tantopere imitantur, ut — velut Timon — instar illarum agi possint, nec forte puto factum esse, ut Aristophanes interdum et Lucianus idem confinxisse inveniantur.[2]) Piscatu quoque, qui in Piscatore fingitur, iam Timon in Sillorum l. I videtur usus esse [3]), quem a Luciano respici contra J. Geffcken (N. Jahrb. 14 p. 481_7) veri dissimile non puto. — Colloquia cum vero magis convenientia non eadem copia scriptor exornavit; scaenae complurium ex iis Platonica resipiunt exempla ut Anacharsis Lysidem, Amores sede, in qua certamen instituitur, belle descripta Phaedrum, Navigium, quod pariter fit disputatio in itinere, Leges. Tamen Lucianus neutiquam servilis imitator est, sed ipsa ratione, qua decerpta singulis de exemplaribus — velut in Piscatore — in unum confundebat, artem egregiam ostendit.

Ut tempus, quo sermones habeantur, raro accuratius signi-

[1]) Lucian und Menipp, Lips. 1906.

[2]) Cf. Aristoph. Pacem cum Icaromenippo, Acharn. 263 ss. cum initio Piscatoris. Vide etiam supra p. 208_2.

[3]) Cf. H. Diels Poët. philos. fr. p. 183.

ficetur, dialogi Luciani ita ferunt, quod ad genus atque universam hominum naturam plerumque pertinent. Unum, quem in certos adversarios conscriptum esse probabiliter conicitur,[1]) certo anno fecit fieri; initio enim Fugitivorum fingitur brevi ante Peregrinum, Cynicum philosophum, in rogo mortem sibi conscivisse, quod anno 165 p. Chr. n. factum esse satis constat.[2])

Luciano ne in iis quidem sermonibus, in quibus ipsum se inducit, fidem tribuendam esse[3]) etiam ex interlocutorum nominibus videtur apparere, quorum multis fortasse nihil nisi familiaris quilibet significatur.[4]) Quo magis admiraberis, quam scite ac simpliciter maximam partem scaenas argumento inseruerit, qua re non multum abest a Platone.

Luciano suppositus est *Charidemus* seu de pulchritudine dialogus, quem loco Atheniensi subtilius non notato Charidemus et Hermippus instituunt. Hic pridie sub urbem in agris ambulantem se cum Proxeno congressum esse narrat, qui ex convivio ab Androcle — quod librum recitans victoriam Iovis festo consecutus esset — in Piraeo acto se refecerit; audire, quid in cena illa disputatum esset, cupientem se ad Charidemum delegatum esse. Charidemus deinde non invitus orationes, quas cum alii tum ipse de pulchritudine contulerint, amico refert; causam certaminis fuisse nepotem Androclis, adulescentem formosissimum, qui quanta in omnium admiratione fuerit si leges (5), quin Autolyci Xenophontis Symposio (cf. impr. 1, 8 ss) illustrati memineris, vix facere poteris; in memoriam contra Convivii Platonis tota ratione, qua movetur narratio, revocamur.

In libros Lucianeos etiam *Philopatris* devenit, quem qui composuit illius et Platonis morem non parce imitatus est. Ad Byzantium, ut intellegitur ex capite 3, Triephon incidit in Critiam vehementissime confusum, qui onere suo similiter atque Lexiphanes[5]) levatus amicum ad platanos aliquas seducit, quarum in

[1]) Cf. supra p. 204 s.; Wieland vers. t. 3 p. 111 adnot.
[2]) Cf. Euseb. Chron. II 171 Schoene.
[3]) Cf. supra p. 201 s.
[4]) Cf. Philonem, Philoclem, Pamphilum, Philonidem; Hirz. II p. 314_1.
[5]) Cf. supra p. 209.

umbra cantu hirundinum et lusciniarum ac sono aquae prorsus animus placetur (3). Ubi, unde venerit et quae sibi acciderint in foro et in praeclara domo sectae cuiusdam animo infestò in patriam imbutae, refert; postremo Cleolaus quidam accurrit et familiares magnam victoriam ab imperatore partam esse certiores facit, qua re audita illi deum ignotum Atheniensium precati, quod tanto imperio subiecti sint, gloriantur (28 s.). Ut certus est locus sermonis, ita de tempore non parva controversia a viris doctis illata est: Wieland (vers. t. 6 p. 382 adnot.) eum factum esse Iuliani aetate, alii[1]) septimo, alii[2]) decimo p. Chr. n. saeculo existimant. Quorum argumentis comparatis Roberti Crampe sententiam quin amplectar, facere non possum; indicia enim temporis ad saecula et septimum et decimum referre licet, sed cum Crampe consilium quoque, quod scriptor secutus est in libro componendo, nobis probet, Rohde, qui maxime illius opinionem impugnavit, permulta nobis explicare nequit atque etiam tam absurdum scriptorem ducit, ut eosdem homines ab eo initio dialogi primo, postea decimo p. Chr. n. saeculo loquentes factos esse censeat.[3])

8. De dialogis antiquitatis exeuntis.

Nero dialogus, qui diu Luciani esse putabatur, omnium fere consensu nunc Philostrato maiori vel maximo natu tribuitur. Hic Musonium philosophum induxit sermocinantem cum Menecrate, qui Lemnius aliis comitibus illius *ἀηδὲς οὕτω φροντιστήριον* adiit, quod Gyarum insulam sentiendum esse convenit. Ab Isthmo perfodiendo, cui Musonius quoque manus adhibere coactus erat, orsi de Neronis gloriae aviditate ac crudelitate fabulantur. Pestis illius hominum regnum labare a tribuno militum navi appulso iam pridie nuntiatum esse reperimus; tum aliud navigium ornatum a colloquentibus conspicitur, cuius ex prora aliquis porrigens manum e vita decessisse Neronem clamat (11), quo nuntio exoptato sermo finitur.

---

[1]) Gutschmid opusc. V p. 433 s.; Crampe, Philopatris, Halis 1894; Byz. Zeitschr. VI (1897) p. 144 ss.

[2]) Niebuhr opusc. II p. 73 ss.; Aninger, Hist. Jahrb. d. Görresgesellsch. 1891; Rohde, Byz. Z. V (1896) p. 1 ss.; VI p. 475 ss.

[3]) Cf. Byz. Z. V p. 11 s.

Tertii quoque, qui dicitur, Philostrati *Ἡρωϊκός* scaena copiose ac venuste picta eminet. Pariter atque avus formam dramaticam colloquio admovit, quo magis quanta arte omnia oculis subiecerit mireris. Phoenicem quendam, qui ad Chersonesum Thracicam navem appulerit, prope Elaeum cum vindemiatore, qui Protesilao ibi sepulto familiariter se uti affirmet, se in sermonem dare fingitur. Videmur nobis cernere, quomodo canis agricolae domini hospitalitatem imitatus caudam iactans advenam circumeat (p. 284), nec minus vineae amoenitatem, quam peregrinus multis verbis laudat (p. 285), complecti cogitatione possumus: permagnae arbores et rivulus et suavitas odorum cui Phaedri Platonici scaenae memoriam non afferant? Ex sedilibus suis prospiciunt disserentes a sinistra tumulum propinquum Protesilai ulmis circumdatum (p. 289), ulterius rudera templi a Persis destructi statuamque vetustate exesam (p. 290), trans mare Sigeum promunturium (p. 288) ac tumulus Achilli et Patroclo excitatus in conspectu sunt (p. 324). Ut fidem faciat hospiti, discum solito maiorem, quo soleat Protesilaus exerceri, cum in vinetum venerit, vinitor monstrat (p. 292), et cum immania quoque vestigia ab eo in viis relicta sub aspectum cadant, ille ut credat heroas esse adducitur (p. 294); quin pavo adest, quocum Protesilaus aliquando Paridem dicitur comparasse (p. 316 s.). Colloquium praecipiti autumno circa meridiem initum (cf. p. 284) sub vesperum ad finem perducitur, quod vinitori boves redeuntes recipiendi sunt (p. 331). Scriptor igitur prioribus exemplis — velut Ciceronis Academica priora in prospectu describendo eum respexisse putes — non sine arte variatis neque inepte re cum scaena copulata opus ut illis temporibus elegantissimum confecit — minime, si vera est opinio Muenscheri,[1]) indignum quod ad imperatorem mitteretur.

De Numenii et Herodiani, qui eodem fere tempore fuerunt, dialogis nihil iam potest statui neque de Athenaei arte scaenica licet iudicium facere, quod *Dipnosophistarum* operis tantum epitoma atque ne ea quidem integra aetatem tulit.[2])

---

[1]) Qui (Philol. suppl. 10 [1907] p. 504 ss.) Philostratum in gratiam Caracallae a. 217 Hellespontum transgressi *Ἡρωϊκόν* scripsisse opinatur.

[2]) Cf. G. Kaibel praef. p. XXVII ss.

Quantum nunc perspicimus, scriptorem ipsum Timocrati amico, quae in conviviis apud Larensem actis disputata sint, compluribus diebus [1]) (cf. II 1 p. 35 a; IX 1 p. 366 a; X 89 p. 459 b) enarrare fingitur; et facta et narrata esse Romae convivia velut ex l. VIII 1 p. 331 b; 63 p. 361 ef; III 94 p. 121 f intellegitur. Saepius initium vel finis cenarum singularum etiam cognoscitur (cf. V 65 p. 222 b; XI 1 p. 459; XIV 85 p. 664 f; XV 63 p. 701 f ss.), sed narratio minus temporis quam rerum edissertarum ordine videtur disposita fuisse; certe, ut exemplum afferam, IX 14 p. 372 b ss. dum agitur de olerum generibus, convivium mense Ianuario institutum relationi inseritur, in quo omnibus cucurbitae optime arte conservatae admirationi fuerint, ac simile quoddam p. 376 c invenias. Unum ex conventibus habitum esse Parilibus videmus (VIII 63 p. 361 ef), alium Dionysiis fieri propter illud ἐπὶ τὰς Διονυσιακὰς ταύτας λαλιάς (XI 9 p. 463 c) conicio. Hospitio splendido (cf. III 101 p. 127 a) Larensis omne genus hominum doctorum fruitur, quorum colloquia plerumque scaena concitantur, ut a Plutarchi libris quaestionum convivalium, nisi quod locus et personae non mutantur, non multum distent. Saepissime cibis illatis ansa praebetur disputandi (velut III 30 p. 85 c; 47 p. 94 c; 51 p. 96 ef; 64 p. 104 c ss.; 69 p. 106 ef; 73 p. 109 b cet.; cf. IX 58 p. 398 b); sono hydrauli ex domo propinqua audito de instrumentis musicis convivae disserunt (IV 75 p. 174 a), vespere appetente de variis nominibus lucernae disputatio oritur (XV 57 p. 699 d) pariterque ad coronas et unguenta, ubi apportantur, deflectit (XV 8 p. 669 c). Nec reliquus symposiorum apparatus abest: finitis epulis libatio agitur (XI 111 p. 503 f), homines symphoniacos et scurras semper prodisse comperimus (XIV 2 p. 613 cd), nec desunt qui invocati venerint (IV 57 p. 164 a). Cynulci, quem vino oneratum somnus ceperit, faciem unguentis esse oblitam salse refertur (XV 33 p. 685 f ss.); extremo opere omnibus deis et deabus sacrificatur et Hygieae hymnus canitur. Convivio suo abundanti doctrina nimiam fidem se non vindicare Athenaeus ipse significavit (XV 1 p. 665 a);

---

[1]) Ullrich l. l. II p. 61 unoquoque libro narrationem uno die actam comprehendi suspicatur.

personam saltem convivatoris non effictam esse ex inscriptionibus constat.[1])

Eodem modo Macrobius scientiam suam litterarum undique arreptam veris personis subicit, qua in re quod temporum rationem non plane servet, Platonis exemplum ipse excusat (I 1, 5). Tria convivia Romae *Saturnalibus* ornata Postumiano, qui ab uno ex convivis certior factus (I 2, 7 ss.) ea in eadem urbe mense Ianuario (I 2, 1) cum Decio communicat, narranda tribuit; narratio iterum non uno die videtur terminata esse (I 2, 13), sed ubi incisa sit, opere mutilato iam non liquet. Pridie Saturnalia nonnullos apud Vettium Praetextatum — qui aeque ac Larensis rebus divinis praefectus erat (cf. I 17, 1) — in sermonem de eo incidisse, qua hora illud festum initium sumeret, aliasque ex hac disputatione natas esse accipimus (I 2, 15 ss.); quas ut pergerent tractare, eos constituisse postridie aliis quoque invitatis rursus ad Vettium convenire (I 5, 12 ss.). Amicos tum tempore matutino in bibliothecam ab illo receptos, cum forte aliquot non evocati accessissent, ut hospites Musarum et Gratiarum numerum complerent (I 7, 13), imprimis de Vergilio collocutos esse (I 6 ss.); familiam iam cenasse nuntio allato congressum die insequenti ad Flavianum fore pactos (I 24, 22 s.) ad epulas adisse in hisque accuratius non descriptis, postquam — Platonis more! — psaltriae et saltatrices repudiatae essent, dicta hominum clarorum contulisse (l. II). Extremus liber secundus et initium tertii interciderunt; III 18 colloquentes iterum in cena sunt et Dipnosophistarum more argumentum colloquii e cibis repetunt (cf. 18, 1, 8; 19, 1); quod hora quietis eos admonet, non multo post participes convivii — altero die Saturnalium apud Flavianum instituti — auctore Praetextato digrediuntur (III 20, 8). Tertio die conventus fit ad Symmachum, quod libro quarto magnam partem perdito etiam ea re probatur, quod illius iussu Eustathio petenti volumen Vergilianum e bibliotheca depromitur (V 3, 17); in symposio deinde apparato omnes Disarium medicum de rebus, quae ad artem eius pertinent, interrogant (l. VII). Ita Macrobius, ut legentes varietate scaenarum atque argumenti oblectaret, maxime dedit operam nec raro, ut probabili modo quaestiones cum quaestionibus conecteret, scaenico apparatu

[1]) Cf. H. Dessau, Herm. 25 (1890) p. 156 ss.

— etsi durius interdum (cf. VII 13, 6) — usus est; in hoc eum aliorum, imprimis Athenaei et Platonis exempla saepe respexisse non difficulter intellegitur.

Convivium doctorum hominum etiam Porphyrius in primo τῆς φιλολόγου ἀκροάσεως (Euseb. praep. ev. X 3) effinxerat; Athenis a Longino magistro se cum multis ad Platonis diem natalem celebrandum[1]) hospitio exceptum esse, qua occasione oblata et de aliis scriptoribus, qui scrinia aliena compilassent, et de Platone ipso collocutio orta esset, ornatu scaenico amplius non allato tradidit.

Omni ornamento carent Porphyrii εἰς τὰς Ἀριστοτέλους κατηγορίας κατὰ πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν et tres libri a Dexippo de eadem re compositi. In his Dexippus ipse cum Seleuco sectatore disputat, in illo ne personae quidem nominantur, sed tantum Ἐ (= ἐρώτησις) et Ἀ (= ἀπόκρισις) notis significantur; tamen hic quoque velut propter illud παράστησον . . ., ὅ λέγεις[2]) ac similia colloquium a quibusdam fieri tibi persuadeas. In scriptis contra Caelii Aureliani (Anecd. Gr. et Graecolat. ed. Rose II p. 196 ss.), Chirii Fortunatiani (Rhet. Lat. min. ed. Halm p. 79 ss.), Bacchii (Musici scr. Gr. p. 292 ss. Janus), Pseudo-Sorani (Rose l. l. II p. 247) et rogata et responsa a praeceptore solo videntur pronuntiari, quo modo magis perspicue quam oratione continua fieri potest, materiam disciplinae suae discenti offerat.

Sermones denique, quibus ad percipiendam linguam peregrinam res, quae agi solent in vita cotidiana, et Graece et Latine describuntur,[3]) ita non cum reliquis dialogis possunt conferri, ut in iis diutius morari non ducam necessarium.

Postremi exeuntis antiquitatis dialogi scaenis insolitis et mirabilibus instructi sunt. In *libris Hermeticis* personae prodeunt, quas utrum deos hominesne putes, haereas, imprimis Hermes ipse Trismegistus cum filio Tat atque Asclepio sectatore, quorum colloquia iam ante Mosis aetatem institui videtur cogitandum esse.[4])

---

[1]) Symposium eodem die institutum narratur in Plut. quaest. conv. VIII 1 s.; cf. supra p. 196.

[2]) p. 55 Busse.

[3]) ‚Schulgespräche'; cf. Hirzel II p. 364.

[4]) Cf. G. Parthey, Herm. Trismeg. Poemand. p. III s., VII, XV ss.

Sermones in singulos dies discripti sunt (cf. 9, 1; 10, 1); semel locum, quo versentur sermocinantes, intellegimus, in eo, qui *Asclepius* appellatus nisi in Latinum versus ad nostra tempora non mansit. In adyto enim templi cuiusdam in Aegypto positi Hermes coram Ammone Tatque Ammonio praedicit res futuras; ex adyto egressi summum deum precantur ac ,cenam puram et sine animalibus' aggrediuntur. In aliis Poemander atque *Νοῦς* (cf. 11), quibus divinam iure tribuas naturam, inducuntur ac nonnunquam visa quoque portentosa enarrantur (cf. 1, 27).

Multo etiam magis monstruose Iulianus dialogum, qui *Caesares* inscribitur, commentus est. Nam Saturnalibus amicum quendam loco ignoto certiorem facit de eis, quae a Mercurio se accepisse ait: Quirinum ipsum quoque Saturni festum celebrantem omnes deos convocasse, qui *ἄνω κατ' αὐτὸ οὐρανοῦ τὸ μετέωρον* sedissent, Caesares item invitatos *ὑπ' αὐτὴν τὴν σελήνην ἐπὶ μετεώρου τοῦ ἀέρος* collocatos esse (307 b ss.); hos alium post alium advenientes a Sileno ludibrio exagitatos nonnullisque etiam repulsis denique certamen clarissimorum factum esse (316 a ss.).

Similiter Martiani Capellae *de nuptiis Philologiae et Mercurii* libri ficti sunt. Scriptor quae ex Satura audiverit filio enarrat, sed non per totum opus sibi constat; velut initio libri VI res, quae geruntur, ipse cernere videtur et VIII 806 ss. omnino Martianum atque Saturam communiter scriptum componere existimes. Quae referuntur, maxime digna sunt nomine satirae, in qua Menippi vel Luciani exemplis dei, qui interdum in sidera ex nomine singulorum appellata transformantur (cf. I 29), Musae, Gratiae, Artes liberales humana specie indutae primas partes agunt; sollemnia nuptiarum ipsa fieri in galaxia et finiri vespere appropinquante fingitur. Integumento tam versicolori, cum Artes Philologiae servarum loco traditae scientiam suam quaeque explicent, doctrina nequaquam contemnenda involuta est — satis absurde nostro quidem iudicio, sed convenienter cum ratione mediae, quae vocatur, aetatis, qua liber ille plurimum valebat.[1])

Eodem modo Fabius Planciades Fulgentius *Mythologias* suas voluit ornare, sed brevi propositum neglexit. Scriptor

---

[1]) Cf. Ad. Ebert, Allgem. Gesch. d. Lit. des Mittelalt. I² p. 485.

in Africam, patriam suam, nos deducit, ubi in arvis ante oppidum sitis pauloque ante ab hostium copiis liberatis ‚umbraculum arboreum' depingit (p. 604 St.), quod Platonis Phaedrum nobis in memoriam redigit. Cantu avium ad Musas invocandas concitatur; quae statim adsunt et imprimis Calliope se operi eius fauturam esse promittit. Deinde (p. 617) subito scaena mutatur; noctu domi requiescenti Calliope, Urania, Philosophia, Satura comparent; ubi autem Calliope fabulas ei tradere coepit (p. 626), fictio sermonis relinquitur et ab initio libri alterius scriptorem per se loqui apparet. In *Virgiliana continentia* Fulgentius cum Vergilio ipso, quem Musis imploratis cogitatione defixum conspexisset, se disputantem fecit loco tam miri conventus nusquam edito.[1])

Neque Boëthius *Consolationis Philosophiae* scaenam aperte indicavit, sed procul Roma in carcere eum fuisse, cum illa virago, cuius figura fusius exponitur (1), assisteret versus scribenti ac Musis poëticis exire iussis in extrema parte lectuli considens solacium maestissimo afferret, e contextu rerum intellegitur. Diligentius idem in duobus *commentariorum* libris, quos ad illustrandam Porphyrii *Εἰσαγωγήν* priores edidit, scaenam tractavit. ‚Hiemantis anni tempore in Aureliae montibus' (1, 1), cum propter austri vim somnum capere non possent, se in lecto cubantem Fabio petenti illum librum interpretatum esse refert; postquam lucescere iam prius dictum est (c. 16), tempore matutino quod superat declamationis in noctem insequentem differtur (c. 27) ac re vera eodem modo usque ad orientem solem (2, 32) absolvitur. Boëthium primum disputationes nocturnas confinxisse Hirzel (II p. 363) statuere videtur, quem ut revincat Brandt (Corp. scr. eccl. Lat. 48 proleg. p. VIII_2) Gellii N. A. praef. §§ 4 et 10 affert non minus errore captus, ut ego quidem arbitror. Nam Noctes Atticas operi suo Gellium inscripsisse, quod quae illo inclusa sunt, non gesta per vigilias, sed conscripta sint, luculentissime apparet; contra Lucianus Gallum iam hoc more composuerat (cf. supra p. 206 s.) atque si alicuius, Boëthium Augustini vel Cassiani exempla (cf. infra p. 229; 232) imitatum esse veri puto simillimum.[2])

---

[1]) Cf. Luc. Disput. c. Hesiodo; supra p. 208.

[2]) Ceterum id quoque falso Brandt sumere videtur, quod colloquentes interdiu requievisse, ad alterius autem noctis lucubrationem

Silentio denique non transeam opus *de Leucippa et Clitophonte* ab Achille Tatio scriptum, quod in diegematicis ponas dialogis. Nam scriptor se Sidone tabulam, qua quomodo Europa ab Iove raperetur, pictum esset, intuentem cum iuvene simul adstante et spectante in sermonem de vi Amoris incurrisse refert; in quo cum Clitophon — hoc enim nomen erat peregrino — se permulta iam ab illo deo passum esse in medium protulisset, nemus propinquum se auctore petitum esse, ubi omnes amoris sui casus ille enarraret. Hic quod sub densis platanis ad rivulum perlucidum et frigidum dicuntur consedisse in loco bene digno amatoriis fabulis (p. 40 Hercher), cui quin Platonis Phaedrus sit respectus dubium est? [1])

9. De patrum ecclesiasticorum dialogis.

A Fulgentio, Boëthio, Achille Tatio, qui Christianae legis studiosi fuisse existimantur, oratio transeat ad eos, qui dialogis suis ut illam novam religionem promulgarent et defenderent enixi sunt. Scriptores ecclesiastici ut minime priorum exempla repudiarunt, varium quoque apparatum scaenicum sermonibus ornandis admoverunt neque raro priores hac re adaequarunt.

Dialogorum, qui a patribus confecti supersunt, vetustior Iustini *cum Tryphone dialogo* nullus putatur esse. In quo martyr ille M. Pompeio cuidam per litteras narrat disputationem cum Tryphone Iudaeo a se institutam; huic atque sociis eius in

---

mature surrexisse opinatur; nam in utroque libro eos colloquio finito ad laborem cotidianum accedere audimus (cf. 1, 27 p. 83 ‚quoniam matutinae salutationes vocant'; 2, 32 p. 132 ‚surgamus'), nec scio an difficultas, qua ille haeret (p. VIII), ita optime tollatur, ut posteriorem tantum noctis partem disserendo consumptam esse statuamus (cf. quae Augustinus de ord. I 3, 6 de consuetudine sua alteram noctis partem pervigilandi dicit, ac Plin. ep. III 5, 8 s., qui rem simillimam de avunculo suo et de imperatore Vespasiano refert); certe hoc modo initio libri secundi nihil offendere mihi persuadeam.

[1]) In altero Phoeniciae capite, Tyri, Antonius Diogenes res valde miras Cymbae cuidam enarrari a Dinia fecit (cf. E. Rohde, Gr. Rom.[2] p. 277 ss.), qua in re quod alia semper narratione alia implicata est, Platonicae rationis renarrandi in memoriam redeas.

gymnasio se mane ambulantem obviam factum et, postquam duo ex comitibus illius ludificantes decessissent, consessu reliquorum in lapideis sedilibus in medio ex utraque parte positis facto (9 p. 226 d ss.) de religione Christiana colloquium collatum esse. Opus non integrum exstare, quamquam primo aspectu non cernitur lacuna, veri simillimum videtur; disputationem enim nocte interruptam, insequenti autem die, cum alii quoque cum Tryphone venissent, redintegratam esse etiam cognoscimus (cf. 78 p. 304 a; 85 p. 311 d, 312 b; 92 p. 320 b; 94 p. 322 b; 122 p. 351 a); die altero eam sub solem occidentem finiri, ut assolet, confictum est (137 p. 367 b). Saepe quo magis perspicua fiat narratio, vultus loquentium describuntur (cf. 8 p. 225 d; 9 p. 226 d; 58 p. 281 d; 79 p. 305 b; 122 p. 351 a; 124 p. 353 b); neque quo tempore illi convenerint, cum a Barcochba bellum geri in Iudaea significetur (cf. 1 p. 217 d; 9 p. 227 a), ignoramus. Valde igitur miraberis, quod, in qua urbe colloquium habitum sit, mentio nusquam incidere videtur. Eusebius (Hist. eccl. IV 18, 6) Ephesum sermonis esse theatrum tradidit, quod ex prooemio libri perdito eum sumpsisse Zahn,[1]) Credner[2]) secus coniecisse ex ea sola re, quod Ephesi tum vere fuisset vir clarissimus nomine Tarphon vel Tryphon, suspicantur. Si ea tantum respexeris, quae ipso dialogo legenti offeruntur, Corinthi factam esse disceptationem cum Crednero non opinari non poteris; Tryphon enim Iudaeus initio exulem in Graecia et Corinthi maxime se vitam agere narrans inducitur,[3]) quibus in verbis illud *ἐκεῖ*, quod Semisch (Justin. d. Märtyrer, p. 102 s.) desiderari censet ad confirmandam Credneri sententiam, necessarium non duco. Sed quoniam unde fluxerit Eusebii notitia[4]) prooemiumque num unquam libro fuerit nescimus, in medio res relinquenda est. Scaenam instituens Iustinus

---

[1]) Zeitschr. f. Kirchengesch. VIII (1886) p. 45 ss.

[2]) Beitr. z. Einl. in die bibl. Schr. I p. 99; Einl. in d. N. T. I p. 735_1.

[3]) 1 p. 217 d: *Τρύφων, φησί, καλοῦμαι· εἰμὶ δὲ Ἑβραῖος ἐκ περιτομῆς, φυγὼν τὸν νῦν γενόμενον πόλεμον, ἐν τῇ Ἑλλάδι καὶ τῇ Κορίνθῳ τὰ πολλὰ διάγων.*

[4]) Eusebio quam non omni ex parte fides sit habenda inde intellegas, quod Bardesanis esse quendam de fato dialogum tradit, quamquam eum ab illo non conscriptum esse ex ipso libro patet; cf. A. Merx, Bardes. v. Edessa p. 9 s.

cum aliorum tum Platonis auctoritatem mihi videtur secutus esse; certe sermonis locus Lysidem Platonis vel Anacharsin Luciani in memoriam nobis reducit et Iustinus inter colloquendum abiturus, sed pallio retentus (9 p. 226 d) simillimus est Socratis apud Platonem cum Protagora certantis (cf. supr. p. 155). Tamen non parvi aestimandam esse Iustini artem scaenicam, quippe qua optime res singulas legenti proposuerit, quis infitietur?

Colloquii cuiusdam a Gellio enarrati (18, 1; cf. supra p. 201) memineris *Octavio* in dialogo M. Minucii Felicis; pariter enim ad Ostiense litus ducimur, ubi scriptor, ut ipse refert, quondam cum Octavio et Caecilio familiaribus obambulavit. Non ipso demum illo die eum Roma profectum, sed feriis vindemiae (2, 3) occasione data iam nonnullos dies corporis curandi causa ibi versatum esse Dessau (Herm. 40 [1905] p. 378_1) probabiliter ostendit. Hic quoque disputatio ut in Amoribus Luciani simulacro viso incitatur; nam dum diluculo amici iter ad mare faciunt, Caecilius etiam tum superstitioni deditus signum Serapidis conspectum gentilium more salutaverat (2, 4); convicio Octavii (3) offensus postquam tacitus cum reliquis spatium in litore emensus et remensus est, certamen novae atque veteris religionis Minucio arbitro proponit (4); quo inito ac sole praecipite finito (40, 1 s.) se victum et conversum esse libere fatetur. Ad litigandum in aggere praesidio balneis exstructo consessum fecerant; iam prius aestus, quo delectabantur (3, 3), et ludus puerorum, qui prope naviculas in aridum subductas testas super summam aquam iaciebant (3, 5), copiose ac venuste pingitur, ut hoc quoque ornatus genere extrinsecus allato rem legentibus iucundam reddere scriptorem studuisse appareat. Nomina personarum, quae in hoc primo ex dialogis Christianis lingua Latina scriptis prodeunt, historiae fide comprobantur, qua re sermonem Caracalla fere imperatore institutum esse licet conicere.[1])

---

[1]) Cf. H. Dessau, Herm. 40 (1905) p. 373 ss. Contra quem quod Elter Prolegom. z. Min. Felix (Progr. Bonn. 1909) p. 12 s. disserit, aptum ad persuadendum non existimo; imprimis illud ,noster Cirtensis' (unser Landsmann aus Cirta) de Frontone iusto iure mihi videtur dici potuisse a Caecilio Cirtensi, qui tum Romae habitans — duabus quasi patriis instructus — alium ,nostrum Romanum' (unsern Landsmann aus Rom) nominare poterat. Cf. etiam M. Schanz, Mus. Rh. 50 (1895) p. 129 ss.

Plane contra fictum esse Methodii *Συμπόσιον ἢ περὶ ἁγνείας* librum vel strictim quasi per transennam aspicienti puto apparere. Exemplo Apollodori Platonici, quae ipsa a participe quadam convivii cognoverit, Gregorium, mulier aetate iam provecta (cf. 92), Eubulio amicae[1]) loco incerto referens inducitur: cenam paratam esse a Virtute, filia Philosophiae, in horto ad orientem solem sito, quo itinere impedito nec sine periculis virgines decem convenissent. Sedes odoribus et fontibus, pratis arboribusque amoenissima summa cum colorum venustate describitur (7 s.); imprimis *ἄγνος* — quo quantopere significetur de nomine et argumento dialogi intellegis — ramis diffusis umbram praebet convivantibus, ut Phaedri scaenam maximopere reminiscamur. Aeque atque in Symposio Platonis, quod non semel spectari iam pridem animadversum est, epulae perpaucis transiguntur atque plurimum tribuitur narrandis orationibus, quae illic de amore, de castitate hic habentur. Quam ad praedicandam unaquaeque virginum a Virtute excitata surgit; postremo postquam Thecla victrix coronata est, hymnus Christo redditur. Sic Methodii Symposio maxime, quo modo patres ecclesiastici formis vetustis usi sint, ut scripta sua commendarent ac pro priorum libris substituerent, perspicitur.

Eundem aliis quoque libris Platonem aemulatum esse reliquiis probatur. In eo enim, qui *περὶ ἀναστάσεως* inscribitur, se Pataris domi Aglaophontis medici Theophilum, quem eo appulsum visere in animo habuisset, in porticu exteriore in sella sedentem et a multis circumdatum repperisse fingit (2), qua in re cui non in mentem veniat id, quod Socrates de Hippia narrat in Protagora (cf. supra p. 155)? Non inepte scriptor de natura corporis, utrum resurgere posset necne, disputari medici in domo fecit; vehementissime ab hospite imprimis impugnatum, cum Theophilus arbiter esset, Methodium fuse immortalitatem defendisse ac precatione usum loquendi finem fecisse etiam nunc videmus.

De lepra sermonem iterum Methodius ipse narrat; se ac Sistelium, ad quem mane iam vocatus esset, de morbo illo colloquium sedentes contulisse; decessurum ab amico veste se retentum

---

[1]) Eubulium non scriptorem ipsum sentiendum esse sed mulierem constat; cf. Ullrich l. l. II p. 69 $_2$.

— cf. parem condicionem in Protagora Platonis et in Iustini dialogo (supra p. 155; 224)! — et de sermone cum muliere quadam Lycia habito, qua in memoriam Diotimae (Plat. Symp. p. 201 d ss.) revocamur, certiorem factum esse. Disputatio denique ab Orthodoxo quodam et Valentiniano et amico non nominato *περὶ τοῦ αὐτεξουσίου* instituta scaenam non videtur habuisse.

Nec magis *de recta in deum fide* dialogus, qui falso Origeni tribuitur,[1]) ornatus est. Adamantius scriptor veram ut defendat fidem, quinque cum haereticis alio post alium coram sectatoribus (cf. p. 255, 274, 317, 384, 386, 397, 411) disceptat, qua in re saepe ex libris, qui praesto sunt, nonnulla recitantur (cf. p. 261, 382, 384); Eutropius paganus, penes quem arbitrium est, secundum Adamantium iudicat et precatione omnia finiuntur (p. 418).

Similiter Macarii Magnetis *Ἀποκριτικός* instructus est. Scriptor Theostheni amico libris quattuor partim magnopere mutilatis quattuor disputationes cum philosopho quodam gentili factos refert, quibus non pauci neque obscuri homines interfuerunt (cf. 3, 29 p. 124 Blond.; 4 prooem. p. 157); non semel aperit, quantopere impetu adversarii ipse commotus sit (cf. 3, 7; 3, 23 p. 103; 3, 37 p. 132; 4, 10 p. 168); de tempore et loco, praeterquam quod tertium colloquium fieri *ἐν σχολαίῳ τόπῳ* dicitur (cf. prooem.), nihil audimus. Quaecumque a pagano in medium proferuntur, ex opere quodam a Porphyrio contra Christianos scripto sumpta esse Hauschildt (De Porphyrio philosopho Macarii Magnetis Apologetae Christiani in libris *Ἀποκριτικῶν* auctore, Diss. Heidelb. 1907) non sine probabilitate opinatus est.

Hoc ipso modo Basilium tres *contra Eunomium* libros condidisse apparet. Huic enim singula ex scripto eius ad verbum repetita tribuit, quae ipse tum refutat; quod genus dialogorum scaenico ornamento non ita valde suffragari vides.

Magis Ioannis Chrysostomi *περὶ ἱερωσύνης* liber verum resipit. De amicitia, qua cum Basilio coniunctus esset, atque dolo, quo effecisset ut ille episcopus eligeretur, verbis factis collocutionem, cum amicus tanto munere indignum se

---

[1]) Cf. Lommatzsch t. 16 p. 248; H. Jordan, Gesch. d. altchr. Lit. p. 250.

existimans propterea que maestitia affectus ad se venisset, de sacerdotio habitam memoriae prodit (1, 3, 30). Locum sermonis, qui quo tempore sit institutus accurate Basilii creatione finitur, cellam Chrysostomi fuisse item ac Nairnio (Cambridge Patrist. texts, introd. p. X) mihi probabilissimum videtur.

Rursus in cella abdita, sed in opposita orbis terrarum regione, in Gallia, participes sermonum a Sulpicio Severo conscriptorum versantur. In quam Sulpicius, ut ex ipso comperimus, et Gallus quidam ex discipulis Martini Postumianum ab Oriente revertentem ac verecunde salutatum recipiunt; postquam brevi ambulatione facta in ciliciis humi stratis consederunt (I 1, 1 ss.), advena prior de itinere suo, deinde illo auctore Gallus de rebus a Martino mire gestis loquitur, qua in re stramine aspecto incitatur ut miraculum narret stramine, quo Martinus cubuerat, effectum (I^{b} 8, 6 Halm). Iam ante umbras fieri longiores memoratum erat (I 27, 6), tum Refrigerio quodam interveniente ut in posteram diem narratio differatur omnibus placet (I^{b} 14, 5 ss.). Postridie iam multo mane aliquot et monachos et saeculares de futura Galli relatione certiores factos advenisse fingitur (II 1), quibus omnibus fere admissis ille in media sede collocatus magistri facta mirabilia pergit tradere, donec sol occidens (II 17, 1) iterum, ut peroretur, monet et cena praebita ac morte Pomponii cuiusdam complorata omnes in partes disceditur. Utroque dialogo continuari librum de Martini vita prius iam confectum Sulpicius ea re significavit, quod ipsum Postumianum ita illo scripto delectatum, quod semper secum ferret (cf. I 23, 2), nova de viro sancto audire cupientem fecit. Sermonem alterum non statim post priorem scriptum esse Ebert (Allgem. Gesch. d. Lit. des Mittelalt. I^2 p. 333; 336_1) recte fortasse inde coniectavit, quod scriptor in secundo parabasi quadam, ut ita dicam, adhibita nonnullos rebus in priore enarratis fidem non habuisse queritur (II 5).

Similiter Palladius vitam Ioannis Chrysostomi dialogo inclusit, quem Romae (cf. Migne, Patr. Gr. 47 p. 7) loco accuratius non significato coram multis (p. 48; 67) ab episcopo quodam, qui scriptor ipse putandus est, cum Theodoro diacono haberi fecit. Qui non uno die videntur convenisse (cf. c. 17 p. 60 . . . *περὶ ὧν τρίτην ἡμέραν διηγησάμεθα*), sed quae singulis diebus collocuti sint, hodie iam non discernuntur.

Ac ne Caesarius quidem, Gregorii Nazianzeni frater, qui quattuor in dialogis suis ad CLXXXXVII quaestiones ab amicis propositas respondet, scaenam plane neglexit; nam singulis libris dierum singulorum colloquia inesse fingit, quorum secundo finem ea re fuisse faciendum, quod sanctus coetus iam opperiretur.

Gregorius Nyssenus pariter atque Methodius *de resurrectione* dialogum composuit, nec minus apte quam in illo libro rem et scaenam hic videmus convenire; scriptor enim, ut de Basilii fratris morte se consolaretur, se ad Macrinam sororem contulisse et ab ipsa morbo gravi et mortifero affecta, cum et medicus — ex quo pulsum venarum attingente de vi et cogitatione animae exemplum petitur (p. 189 c Krabinger) — et alii adessent, de immortalitate doctum esse refert; in quo quanta similitudo intercedat cum Phaedone Platonis, te non fugiet.

Saepissime Aurelius Augustinus formam dialogi adhibuit. Quo genere scribendi in libris *contra Faustum Manichaeum, contra litteras Petiliani, contra Iulianum secundam*que *Iuliani responsionem* editis Basilium secutus usus est, ut adversariorum sententias ex operibus transscriptas, quasi in disputatione pronuntiatae essent, melius refelleret.

Disputationes contra vere habitae *Actis* perscriptae sunt, quorum nonnulla Augustini in operibus inveniuntur. In his non solum quae dixerunt colloquentes, sed etiam locus tempus personaeque semper fere accuratissime notata sunt; velut colloquia *cum Maximino* atque *Fortunato* Hippone regio, *cum Donatistis* tribus diebus mensis Iunii a. 411 Carthagine, *cum Emerito*. qui pertinaciter reticet neque convertitur, a. 418 ,duodecimo cal, octobris Caesareae in ecclesia Majori, cum Deuterius . . . una cum Alypio . . . et caeteris episcopis in exedram processissent, praesentibus presbyteris et diaconibus et universo clero ac frequentissima plebe'[1]) legimus instituta esse.

Simili cum diligentia Augustinus scaenam tribus in praestantissimis sermonibus tractavit, quos apud Cassiciacum in villa Verecundi factos pauloque post conscriptos esse scimus et quibus summa arte, qua vivendi condicione tum uteretur, sub aspectum legentium subiecit. Horum, quos non alium post alium se

---

[1]) Cf. Patrol. Lat. 43 p. 697.

perfecisse, sed omnes simul habuisse in manibus ait (Retract. I 2 s.), *de ordine* dialogum primum componere coepisse mihi videtur, in quo ut scaenam atque disputandi consuetudinem exponat maxime det operam; velut quibus de causis semper sit notarius adhibitus atque quos locos ad sermocinandum petere consueverint, hoc in opere (cf. I 2, 5; 8, 25; II 1, 1) explicat, in reliquis duobus iterum sibi dicendum non putavit. Primi quattuor colloquiorum, quae duobus de ordine libris insunt, perquam singularis est occasio. Nocte enim quadam, cum ex consuetudine vigilans nonnulla secum volveret, alternum nunc clariorem, nunc pressiorem strepitum aquae prope balneas praeterfluentis se miratum et quae causa esset, frustra meditatum esse scriptor narrat (I 3, 6); tum Licentium in eodem cubiculo cubantem eo, quod soricem proterreret, ipsum quoque vigilantem se praebuisse et una cum Trygetio pariter non dormiente participem meditationis factum esse, qua re descripta in Italia ne pecuniosis quidem tum copiam fuisse ad lucernam dormitandi comperimus. Explanatione Licentii comprobata sermo ad rerum ordinem delabitur, de quo usque ad redeuntem lucem (I 7, 20; 8, 22) verba summa cum alacritate fiunt; deinde postquam exierunt adulescentes, Augustinus orat et Licentio, qui interea revertit, item ab arte poëtica ad deum delegato (I 8, 22 ss.) omnes ad balneas proficiscuntur, ubi ante portam dimicatione gallorum perspectata colloquium nocturnum communi studio litteris designant. Insequenti die rursus in balneis, quo loco, cum sub divo esse non liberet, potissimum commorabantur, considunt ac de ordine pergunt disserere (I 9, 27); offensione, quae inter magistrum et discipulos coorta erat, sublata ubi Monica ingressa est ac tabulae ad verba exaranda iam deficere coeperunt, disceptatio finitur (I 11, 31; 33). Non ita multis diebus post, cum Alypius accessisset, mira caeli serenitate eliciti — nam hiems erat —, ut inceptam disputationem exsequantur, in prato etiam Monica praesente consessum faciunt (II 1, 1) neque prius surgunt, quam puer, ex quo accurrente iocolariter movendi definitio sumitur, prandium paratum esse nuntiat (II 6, 18). Post meridiem quoniam caelum nubes induxerat, itur in balneum, cuius fenestrae atque ostia quomodo sint disposita exempli gratia implicatur inquisitioni (II 11, 34), quae nocturno demum lumine illato finem habet (II 20, 54).

In balneis eisdem coram cum aliis tum matre, fratre, filiolo sermonem quoque *de beata vita* et eum die natali suo, idibus Novembribus, postmeridiano tempore initum esse scriptor prodit (1, 6). Die postero iterum prandio transacto omnes de eadem re disputaturos eodem convenisse (3, 17), tertio autem, cum caeli serenitas reddita esset, in prato post meridiem considentes colloquium ad finem perduxisse (4, 23).

Non secus *contra Academicos* tres libri, qui disputationes octo continent, instructi sunt. Non multo postquam rus venisset, certaminis inter Licentium et Trygetium iuvenes de Academicorum sententiis instituendi se auctorem fuisse loco et tempore subtilius non indicatis scriptor narrat (I 1, 4 ss.); notario adhibito Alypius, qui in urbem profecturus paulo post discedit, et Augustinus ipse sibi vindicant arbitrium, sed difficultate Licentio in meditando orta, quam statim tollere non potest, ac vespere appropinquante disceptatio praeciditur (I 4, 10). Diei insequentis parte maxima et rusticis laboribus et recensione Vergilii consumpta sole in occasum iam praecipite pergunt inquirere, donec notarium celeritate scribendi verba persequentem tenebrae a munere impediunt (I 5, 15); tertio die inde a prima luce (I 6, 16) sodales colloquuntur, dum cenam paratam esse nuntius allatus est (I 9, 25). Septem fere diebus deinde interpositis quartum colloquium mane praeter cetera sereno, postquam maturius, quam solebant, surrexerunt ac paulum agricolas iuverunt, ab ambulantibus in agro instituitur (II 4, 10) atque Alypio omnibus, quae cum abesset acta erant, enarrandis paene totum expletur. Domum revertentes a matre Augustini quam celerrime ad cenam compelluntur, qua absoluta iterum usque ad occidentem solem ambulatum atque disputatum in pratum redeunt (II 6, 13 s.; 10, 24). Postridie cum aliis negotiis tum litteris scribendis ita occupatum se fuisse scriptor refert (II 11, 25), ut collocutioni duae tantum horae superessent; tamen sudo commotos ad pratum omnes descendisse ac sub arbore solita, quae in colloquio identidem respicitur (II 12, 27 s.), tam diu remansisse, ut ingruente demum caligine regrederentur (II 13, 30). Septima et octava denique disputationes uno die, sed illa ante, haec post meridiem propter nubilum in balneis habentur (III 1, 1; 3, 6; 4, 7); ulterior ad noctem producitur, ut nisi lucerna apportata quae dicuntur stilo iam non possint excipi (III 20, 44).

Hoc modo singulis tam diligenter annotatis, ut diurnos commentarios nos legere putemus,[1]) non est cur res, quibus alii quoque libri testes sunt, ita vere gestas esse non credamus.[2]) Contra si *de libero arbitrio* atque *de quantitate animae* dialogos, in quibus Augustinus cum Euodio quodam prodit, *de magistro* librum, in quo filium Adeodatum secum colloquentem fecit (cf. Confess. IX 6), *de musica* sermonem a magistro et discipulo collatum, quibus omnibus dramatice compositis scaenicus apparatus plane deest, commenticios esse statues, non repugnabo. Valde notandi sunt duo *Soliloquiorum* libri, in quibus se ipsum cum ratione sua disputare scriptor finxit. Horum simillimus *de unitate sanctae trinitatis* est dialogus, de quo pariter ac de sermonibus *contra Fulgentium Donatistam* et *de unitate trinitatis* scriptis scaena non minus carentibus, num Hipponensis sint, admodum dubitatur.

Ut brevi comprehendam, Augustinus scaenis nisi cum vero congruenter enarratis nullis usus est; has igitur etsi egregie interdum illustravit, tamen de arte eius scaenas instituendi et cum argumento coniungendi — nisi propter illud ipsum, quod ad verum omnia accommodavit, dicas inventionem ei defuisse — non licet iudicare.

In genere Actorum ducenda est *Altercatio Heracliani laici cum Germinio episcopo* Sirmiensi ,sedente in cathedra cum omni clero coram omni populo et maioribus natu populi' facta, in qua a nescio quo perscripta adversarium episcopi modo e carcere productum propter libertatem loquendi verberatum et, quamquam non confutatum, postremo litteris, quibus verba sua retexeret, nomen subscribere coactum esse non sine sensu legimus.[3])

Hegemonii *Actis Archelai*, quae integra ad nostra tempora nisi Latine reddita non permanserunt, disputatio Archelai contra Manen ,Carcharis in civitate Mesopotamiae' domi Marcelli coram iudicibus magnaque corona habita inest, quae tamen vix

---

[1]) Ohlmann De S. August. dial. in Cassiciaco scriptis (Diss. Argent. 1897) p. 17 ss. etiam dies, quibus singula colloquia habita sint, probabilissime enucleavit.

[2]) Contra Hirz. II p. 377 cf. Ohlmann p. 8 ss., Thimme, Zeitschr. f. Kirch.-Gesch. 29 (1908) p. 6 ss., Jordan, Altchr. Lit. p. 258.

[3]) Caspari, Kirchenhist. Anecd. p. 133 s., 145 ss.; cf. praef. p. V ss.

dimidiam partem operis complectitur. Quam quod scriptor se — Marcello auctore — auditam excepisse atque descripsisse dicit,[1]) viri docti nunc in dubium vocant.[2])

Euagrii denique *Disputatio Simonis Iudaei cum Theophilo Christiano* ut nulla habet temporis vel loci indicia, vere facta esse non videtur.[3])

Speciem veri contra Cassiani *Collationes XXIV* prae se ferunt, quibus sermones a scriptore et Germano, familiari eius, cum monachis Aegyptiis habiti narrantur. Cassianus Thennesum ex Syria navi appulsa nos secum Panephysim, cuius regionis sedes solitarias eluvione atque terrae motu factas pluribus describit (XI 3), in solitudinem Thebaidem et Scythicam, imprimis Cellas (VI 1) et Diolcum (XVIII 1) ducit. Non solum in prooemiis more Ciceronis adhibitis cum aliis de rebus tum de viris singulis, quos cum amico viserit, uberius loquitur, sed omnino qua ratione illi vitam degerent, maxime cena (VIII 1) et cubili tenui (I 23) expressis sane quam iucunde adumbravit. Disputationes partem maximam in cellis anachoretarum, bis (XIX s.) in monasterio conferuntur; collatio VII diebus Quadragesimae, XXI diebus Quinquagesimae, qua varie in Syria et Aegypto celebrata sermo movetur, fiunt. Praecipue vero dialogi Cassiani ea re insignes sunt, quod, ut illis locis videtur usitatum fuisse (cf. II 2), noctu plurimi instituuntur (cf. I 23, III 2; 22, VII 34, VIII 25, XII 16, XVII 3, XXI 36, XXII 1); plerumque vespertina precatione absoluta convenitur nec, nisi aurora demum finem imponit disputando, multum noctis somno relinquitur. Perpauca colloquia habita esse interdiu nobis traduntur: coll. II ac XXIII prima luce, ut contexatur collocutio pridie incohata, ineuntur, IX vespere, XIX cena horae nonae imminente finiuntur. Quamvis vero scaenas inter se simillimas conspexeris, ut tantus numerus disputationum non sit molestus lectu, scriptor arte sua enarrandi effecit.

Hieronymus Stridoniensis libro, quem *Orthodoxi et Luciferiani dialogum* inscripsit, colloquium memoriae prodit,

---

[1]) C. 43, 3 p. 63 Beeson.

[2]) Cf. Bees. praef. p. XIII ss.

[3]) Cf. H. Jordan, Altchr. Lit. p. 260.

quod ‚importuno et loco et tempore' institutum ac nocte, cum ‚lumina iam in plateis accensa' essent, interruptum postridie multo mane in secreta porticu adhibito notario et coram non paucis audientibus redintegratum sit. Adversarii cum inimicissime initio se impugnent, Helladius denique Luciferianus ad Orthodoxi sententiam traducitur, quem non nominatum scriptorem ipsum putandum esse mihi persuasi; quamquam in urbe eius atque vere factum esse colloquium etsi probabile mihi videtur, non item audeo pro certo affirmare.

Disceptationem contra Attici et Critobuli, quam opus *contra Pelagianos* ab illo editum complectitur, confictam esse veri simillimum existimes. De tempore et loco dramatici sermonis nihil audimus; e verbis colloquentium in Oriente ac praesente corona eos disputare tantum conicias. Quam ob rem, praesertim si rationem habeas verborum, quibus Atticus de libro ab adversario scripto significat, ab Hieronymo persona Attici induto scriptorem quendam Pelagianum Critobuli nomine inductum ementito sermone oppugnari ut mecum opineris spero fore.

Nec minus Cyrilli dialogi sunt commenticii. Decem *contra Iulianum* libris exemplo Basilii et Augustini[1]) opus quoddam illius imperatoris ficto colloquio revincit atque sermonibus *de trinitate* scriptis nisi perspicuitatis causa se dialogi formam non admovisse ipse dicit.[2]) In his cum Hermia, in quem senem caeli asperitate paucos dies domi retentum aliquando sudo facto incidisset, se disseruisse fingit illum nota B, se ipsum principatu instructum[3]) nota A significans, quo more etiam reliquos — *de incarnatione unigeniti* atque *de Christi unitate* — dialogos composuit, ut Aubert eos pro octavo atque nono libro illis septem annumeraret; unusquisque librorum — inde a tertio precationis certo carmine finitus — singula colloquia complectitur, quae scaena non sunt exornata.

Sine ornamento scaenico Theodoreti quoque *Eranistes seu Polymorphus* liber, in quo ut varias haereticorum sententias

---

1) Cf. supra p. 226; 228.

2) Cf. praef.: *᾿Επειδὴ γὰρ πολλή τις αγαν ἐν τοῖς ζητουμένοις ἐστὶν ἡ λεπτότης . . ., ἀναγκαία γέγονεν ἡ τῶν προσώπων εἰσκομιδή.*

3) Qůod quam non perspexerit Hirzel II p. 375_2 admiror.

refutaret, scriptor Orthodoxum quendam cum haeretico, cui Polymorphi nomen imposuit, tribus continuis diebus coram aliis (cf. t. IV p. 125 Schulze) disputantem fecit, Maxentii Ioannis duo dialogi, qui a Catholico et Nestoriano ,opportuno loco et tempore' instituuntur, *Hermippus de astrologia* liber a nescio quo Christiano editus, in quo Hermippi socium ut oracula valere iubeat ab illo commoveri fingitur — omnes dramaticum in genus dialogorum referendi — inveniuntur.

Quo altius illis temporibus Aeneas eminet Gazaeus, qui *Theophrasti*, dramatici dialogi, scaenam effingens non nequiquam Platonis artem aemulatus est. Euxitheum quendam Christianum, cui ex Syria Athenas iter esset, adverso vento Alexandriam delatum Aegypto, quem amicum per multos annos non vidisset, obviam factum esse primis eorum verbis legentes eleganter certiores fiunt. Advena, qui ut Athenis philosophos audiret, ex patria profectus erat, deinde ab amico ad Theophrastum Atheniensem tum forte Alexandriae morantem ducitur. Ubi disputatione de immortalitate instituta — in qua aestivum esse tempus memoratur (p. 53 s. Boiss.) ac mentione crudelissimi facinoris a Libyae tyranno facti illata ad definiendum, post quem annum sermo collatus sit, ansa praebetur (p. 75 s.; not. 578) — Graeco denique, ut amplectatur Christianam legem, persuadetur ac sancta trinitate invocata disceditur; et precatione et extremo verbo ἴωμεν memoriam Phaedri Platonici afferri Hirzel (II p. 372) iure monuit.

Ut huius dialogi personae ex parte saltem historiae fide comprobantur,[1] ita *Ammonio* quoque Zachariae Mytilenaei disputationes vere habitas subesse, quas conficto colloquio inseruit, si ὑπόθεσιν ab illo praepositam perlegeris, veri simillimum putabis. Beryti enim, in oppido Phoeniciae, se cum Alexandrino quodam convenire ac de Ammonio, illius praeceptore, ingredi sermonem fingit; ne interpellentur, in aedem sacram ducit peregrinum, quae pulchritudine eximia incluta ac maxime bis quinis columnis magnificentissimis sustenta verbis illius admirantis nobis pingitur (p. 85 s. Boiss.). Hoc loco, qui fusissime descriptus nihil ad rem pertinet, cum hospite communicat disceptationes, quas

---

[1]) Cf. Fr. Creuzer, Zur Gesch. d. griech. u. roem. Lit. (= Deutsch. Schr. Abt. 3 Bd. 2) p. 473; Hirzel II p. 375_2.

anno ante Alexandriae et cum Ammonio et cum principe illius sectatorum se ipsum habuisse non plane contra veritatem mihi dicere videtur; primam in auditorio, ubi in pulpito Ammonius sedisset, *ὥρᾳ θέρους* (p. 87), tertiam et quartam ibidem cum eodem (p. 123, 129), alteram postridie primae in Musarum templo (p. 98) semper magna praesente multitudine initas esse refert; postremo precatione facta iisdem, quibus Aeneae, verbis (*Ἱκανῶς ἡμῖν ηὖκται· ἀλλ' ἴωμεν*) dialogus finitur. Zacharias — initio quoque Aeneam imitatus — exempla priorum, qui in templis conferri colloquia fecerunt, opere suo, ut ita dicam, in Christianum convertit. Praeterea eum toto in libro componendo morem Platonicum secutum esse et ipse fatetur (cf. praef. p. 82 Boiss.) et perfacile cognoscitur (cf. Hirzel II p. 373), ut spatio mille fere annorum perlustrato etiam atque etiam in vestigia illius principis eorum, qui dialogos ornarunt scaenis, incidamus.

Caput II.

Quae genera scaenarum inveniantur.

Quodsi scaenarum, quas in dialogis adhibitas exponere quam brevissime temptavi, quaedam genera statuere conamur, haec praecipue proponam. Inveniuntur:

A. scaenae fabulosae

I. e fabulis petitae — ut in Plutarchi *Περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λ. χρ.* (196),[1]) Luc. Prometh., dial. deor. (202),

II. ab ipsis scriptoribus confictae — velut in Asellii Sab. Convivio (186), Luc. Piscatore (203), Gallo (206 s.), Iuliani Caesaribus (220),

B. scaenae, quae specie veri indutae sunt, sumptae

I. ex historiis — cf. Plat. Phaedon. (156 s.), Dion. Chrys. or. 2; 4 (189), Plut. de genio Socr. (191 s.),

II. e vita cotidiana — quo in genere ut plurimae ducendae sunt, ita exempla quaedam etiam atque etiam repetuntur ac variantur. In quibus maxime elucent

1. si locum respexeris conventus, dialogi qui conferuntur

a) in aedificiis

α) publicis:

aa) in gymnasiis — cf. Plat. Gorgiam (150), Lachetem (150), Lysid. (154), Charm. (154), Euthyd. (154 s.), Luc. Anachars. (207), Iustin. (222 ss.),

bb) in templis — cf. Varr. de re r. I (184), Plut. de Pyth. orac. (192), de E Delph. (193 s.), Cebet.

---

[1]) Numeri uncis inclusi spectant paginas in quibus dialogi uberius supra tractati sunt.

tab. (200); Luc. Amor. (211 s.), Asclepium (220), Zach. Ammon. A [1]) (234 s.),

cc) in scholis — cf. Plat. Hipp. min. (149 s.), Anterast. (164), Zach. Amm. B (234 s.),

β) privatis:

aa) in domibus urbanis — cf. Plat. Prot. (155), Parmen. (157 s.), Theaet. A (158), Remp. (159 s.), Cic. Brut. (177), Tac. de orat. (187) cet.,

bb) in villis — cf. Heracl. Pont. π. τῆς ἄπνου (170 s.), Praxiph. (171), Bruti dial. (174 s.), plurimos Cicer. (175 ss.) et Augustini (228 ss.), Boëth. comment. in Porph. Isag. (221),

cc) in cellis — cf. Ioann. Chrys. (226 s.), Sulp. Sev. (227), Cass. Collat. (232),

b) sub divo:

α) in litore — cf. Alcyon. (173 s.), Neron. (215), Min. Fel. (224); Gell. N. A. 18, 1 (201),

β) locis rusticis Phaedri exemplo pictis — cf. Plat. Phaedr. (151 ss.), Cic. de or. (175 s.), de leg. (176 s.), Flori dial. (187 s.), Luc. Amor. (211 s.), Philopatr. (214 s.), Philostr. Ἡρωικ. (216), Fulg. Mythol. (220 s.), Achill. Tat. (222), Method. Symp. (225),

2. si tempus respexeris, dialogi qui habentur

a) festo aliquo die — cf. Plat. Lysid. (154), Parmen. (157 s.), Rempubl. (159 s.), Xen. Symp. (165 s.), Cic. de or. (175 s.), de rep. (176), de fin. II (178), de nat. deor. (180 s.), Varr. de re r. I, II (184), Plut. quaest. conv. (195 s.), Amat. (198 s.),
imprimis Saturnalibus — cf. Hor. sat. II 7 (186), Plut. de mus. (199), Luc. Saturnal. (206), Macrob. Saturnal. (218 s.) [Iuliani Caesar. (220)],

b) noctu — cf. [Luc. Gall. (206 s.), Fulg. Mythol. (221)] Boëth. comment. in Porph. Isag. (221), August. de ord. I (229), Cassiani Collation. (232),

3. si occasionem respexeris conventus, qui instituuntur

---

[1]) Quid notis A et B significetur, vide supra p. 153.

a) in itinere — cf. Plat. Leges (152 s.), Leont. Alyon. (173 s.), Cic. de leg. (176 s.), Verg. ecl. IX (186), Plut. π. ἀοργ. (197), Luc. Nav. (209 s.),

b) ad lectum alicuius aegrotantis vel morientis — cf. [Plat. Phaedon. (156 s.)] Plut. de genio Socr. (191 s.), Gell. 2, 26; 19, 8, 10 (201), Luc. Philopseud. (210), Gregor. Nyss. dial. (228),

c) in conviviis — cf. Plat. (155 s.), Xenoph. (165 s.), Aristot. (168), Speusipp. (169), Hieronym., Prytan., Epicur. (171 s.), Persaei, Timonis Phlias. (172), Maecen. (185), Horat. sat. II 8 (186), Ascon. Pedian. (186), Plut. conv. VII sap. (190 s.), quaest. conviv. (195 s.), de mus. (199), Luc. (210 s.), Athen. (216 ss.), Macrob. (218 s.), Method. (225), aliorum opera,

4. si numerum respexeris eorum, qui colloquio intersunt, dialogi qui fiunt

a) secreto a duobus tribusve — cf. Plat. Criton. (151), Phaedr. (151 s.), Leges (152 s.), Leont. Alcyon. (173 s.), Cic. de leg. (176 s.), Brut. (177), de fin. I, II (178), Ac. post. (179 s.), Tusc. (180), de div. (180), de fato (181), Luc. Amor. (211 s.), Philopatr. (214 s.), Boëth. comment. in Porph. (221), Min. Fel. Octav. (224), Ioann. Chrys. π. ἱερωσ. (226 s.), Sulp. Sev. I (227), Aug. de ord. I (229), alios,

b) a maiore colloquentium numero — cf. Plat. reliquorumque symposia, Phaedon. B. (156 s.), Rempubl. (159 s.), Cic. de or. (175 s.), de rep. (176), de fin. III (178), plurimos Plut. sermones (190 ss.), Luc. Philops. (210), Macrob. Sat. (218 s.), Aug. contr. Ac. (230),

c) astante magna audientium corona — cf. Plat. Lys. (154), Charm. (154), Euthyd. B. (154 s.), Prot. (155), Anterast. (164), Iunc. (199 s.), Method. π. ἀναστάσ. (225), De rect. f. (226), Mac. Magn. (226), Sulp. Sev. II (227), Pallad. (227), Aug. et alior. Acta (228, 231 s.), Hieronym. Orth. et Lucif. dial. (232 s.), Theodoret. Eranist. (233 s.), Zach. Ammon. B (234 s.).

In eodem ordine priorum semper habuisse rationem posteriores quamquam non est veri dissimile, tamen pari modo ubique

comprobari nequit. In scaenis fabulosis, quae maxime ad deridendum aliquid finguntur, Lucianus principatum tenet, qui quantum Menippo debeat, non accurate scimus. Exempla reliquarum omnia fere iam in Platonis libris reperiuntur.

Notissimum in his est genus conviviorum (B II 3 c), quod — habile aptumque ad materias maxime varias — quas vicissitudines per saecula subierit, uberius Ullrich (cf. supra p. 156_2) ostendit.

Etiam magis in scaenis Phaedri more conformatis (B II 1 b β), quoniam rivulus, opacae arbores, odores cicadaeque simillime maximam partem describuntur, exemplo fuisse Platonis artem intellegitur. Haec scaena quantopere in deliciis fuerit, vel inde cognoscas, quod temporibus Plutarchi a nonnullis iam contrita putabatur[1]) atque etiam in dialogo Theophylacti Byzantia, quae dicitur, aetate ad verbum fere imitatione expressa est.

Neque in rebus singulis auctoritas Platonis ad instituendas scaenas nihil videtur potuisse; certe in Charidemo Dionis Chrysostomi et in Lexiphane Luciani pariter atque in Phaedro et in Theaeteto scriptum quoddam recitatur, ac similitudinem, quae aliis dialogis est cum Protagora, supra p. 224; 226 notavimus. In ea quoque re, quod multi sermones — cf. Plut. conv. VII sap. (191), de musica (199), Athen. Dipnos. (217), Asclep. (220), Method. conv., *περὶ ἀναστάσεως* (225), De recta fide (226), Cyrill. (233), Aen. Gaz. Theophr. (234), Zachar. Ammon. (235) — precatione finiuntur, Platonis Phaedrum spectatum esse putes, sed hoc opinari in Christianis saltem necessarium non duco.

Nonnulla velut Phaedri ac Symposii Platonis exempla per omne fere tempus apud omnes pariter valebant; scaenae in gymnasiis collocatae (B II 1 a α aa) maxime Graecorum, scaenae in villis positae (B II 1 a β bb) maxime Romanorum gratia floruerunt.[2]) Sermones Saturnalibus collatos (cf. B II 2 a) imprimis posteriorum, colloquia in cellis instituta (B II 1 a β cc) Christianorum propria fuisse dici non opus est.

---

[1]) Cf. Plut. Amat. 1 p. 749 a.
[2]) Cf. Hirzel I p. 430.

Caput III.

Quid spectet apparatus scaenicus.

Qua re commoti igitur scriptores scaenas ad disputationes exponendas admoverunt? Interdum eum, cui mitteretur libellus, honoris causa participem sermonis factum et reliqua scaenae ad eius res aptata esse cum in Platonis (cf. Theaet. supr. p. 158) tum in Ciceronis (cf. Acad. poster. supr. p. 179 s.) dialogis videmus. Imprimis autem loci, temporis indicia aliumque apparatum scaenicum ut ornaretur sermo et oblectarentur qui legerent adhibita esse mihi persuasi.

Quod ut efficerent, scaenam cum argumento nulla re coniunctam pingere nonnulli satis habuerunt (cf. Axioch. et Zach. Ammon. supr. p. 164 s., 234 s.), nec dubito quin vel hoc modo, qui locum sermonis noverant, eadem voluptate affecti sint, qua temporum nostrorum homines scriptis, quibus quae enarrantur in patria eorum facta esse fingitur.[1]) Plures et illud et alia secuti scaenam ad argumentum adaptarunt et cum eo conexuerunt. Velut ut scaenico ornatu animos legentium ad rem tractandam praepararent, aliquot enixi sunt, quod — ut exemplum afferam — Platoni in Phaedone nos ad gravitatem vel in Phaedro ad sollemnem quandam mentis affectionem adducenti mirum quam egregie successit. Alii artificiose in disputatione scaenam respexerunt (cf. impr. Plat. Phaedr. supr. p. 151 s.) vel exempla ex ea petiverunt (cf. veluti Xen. Oec., Cic. de republ., Ac. pr. I, de divin. II, Luc. Anachars., Augustin. de ord. II 6, 18; 11, 34; supra p. 166 s., 176_1, 179, 180, 207, 229). Saepissime vero ut iter sermonis

---

[1]) Cf. imprimis narrationes, quae Lokalromane appellantur.

nobis probetur, scriptores apparatu scaenico utuntur. Adhibent enim illum:

a) ut sermo moveatur — cf. Plat. Euthyphr. (150), Alcyon. (173 s.), Cic. Hort. (177 s.), Varr. de re r. III (184 s.), Plut. de E Delph. (193), quaest. conviv. (195 s.), Luc. Anachars. (207), Nav. (209 s.), Philops. (210), Athen. Dipnos. (216 s.); imprimis tabulam vel simulacrum collustratum ansam praebere disputandi fingitur — cf. Varr. de re r. I (184), Cebet. tab. (200), Luc. Amor. (211 s.), Achill. Tat. (222), Min. Fel. Octav. (224); Plut. de Pyth. orac. (192), Gell. 13, 25 (201),

b) ut sermo alio transferatur — cf. Xenoph. Symp. (165 s.), Varr. de re r. III (184 s.), Athen. Dipnosoph. (216 s.), Macrob. Saturn. (218 s.), Sulpic. Sev. (227),

c) ut finis sermoni imponatur — cf. Cic. Ac. pr. II (179), Varr. de re r. (184 s.), Iuven. sat. III (187), Plut. Amat. (198), Luc. Gall. (206 s.), Nav. (209 s.), Augustin. de ord. I 11, 33; II 6, 18; 20, 54 (229), contra Acad. I 9, 25; II 6, 13; III 3, 6 (230), Cass. Coll. (232);
ad quod potissimum utuntur sole occidente — cf. Plat. Phaedon. (156 s.), Cic. de orat. III (176), de fin. II (178), de nat. deor. III (181), Verg. ecl. I (186), Plut. conv. VII sap. (190 s.), Philostr. Heroic. (216), Iustin. (222 s.), Min. Fel. (224), Sulpic. Sev. (227), Augustin. contr. Ac. I 4, 10; 5, 15; II 10, 24; 13, 30 (230), Cassian. Coll. IX (232); Gell. 18, 1 (201), Martian. Capell. (220),
id quod tam usitatum erat, ut interdum — velut in Luc. Anach. supr. p. 207 — etiam minus apte usurparetur.

Denique nonnunquam scaena alius sermo alii annectitur, quod fit, cum singula colloquia sive eodem — cf. Plat. Theaet. B, Soph., Politic. (158 s.) — sive ex composito alio usque loco — cf. Macrob. Saturn. (218) — ab eisdem ineuntur.

Ad scaenam describendam formam diegematicam ut habiliorem ita saepius admotam esse vidimus, sed etiam in dramaticis dialogis scaenas invenimus summa admiratione dignas. Omnino artem scaenicam scriptorum inde arbitror intellegi, qua simplicitate illud ornamentum sermoni inseruerint. Non enim abhorrere ab re, non altius repetitum, non nimia cum diligentia — velut a

Varrone (cf. supr. p. 185) — cum argumento iunctum esse neque praeter modum explanari debet, sed ita adaptandum ad tractandam rem, ita cum illa contexendum est, ut omnia non arte, sed natura convenire videantur et scaenam esse non caput operis, sed ornamentum, quo colloquium inclusum illustretur et amplificetur, evidenter appareat. Quo modo quin Platoni et Luciano, a quibus illa vitia pariter absunt, palmam dari oporteat, sic tamen, ut maiorem excogitationem atque inveniendi vim Platoni tribuamus, vix potest dubitari.

Nobis scaenae ideo non minimi momenti sunt, quod multa eis et de disciplinae et de morum veterum varietatibus audimus. Prima colloquia Athenis, in genetricibus omnium litterarum, posita erant, ubi ad tempora Luciani poni non desierunt, brevi in reliquam Graeciam, in Asiam, in Siciliam deducimur; sequuntur Italia Hispania Aegyptus Africa Phoenicia Gallia, quicumque locus orbis terrarum Musis favet et Minervae, fit dialogi theatrum. Quo modo vitae usi sint coloni, qui extremum Pontum Euxinum incolebant, et monachi Aegypti solitudines tenentes, item cognoscimus ac mores, qui per saecula Athenis atque Romae fuerint, ut — argumento sermonum non facile tantopere variato — tamquam in speculum regionum atque temporum inspiciamus. Vel hac de causa longum non fuisse spero dialogos ex ista parte saepe neglecta intueri; in quo si quid me fugit, tantae molis argumenti, qua ne obruerer saepius verebar, excusationem me defendere concedas.

Index.

(Usui sint praeterea Argumentum et conspectus cap. II et III inclusi.)

7

Vita.

Vilhelmus Kiaulehn Vilhelmo patre matre Augusta e gente Koch, quos adhuc vivos grato colo animo, pridie kal. Ian. anni pr. s. LXXXVIIII natus sum Saxo-Borussus in oppidulo, cui nomen est Schraplau. Fidei evangelicae addictus litterarum primis elementis in patria imbutus sum. Postquam parentes me tum nonum agente annum in vicum Marchiae, quem Wiesenburg appellant, sedem transtulerunt, Francisceum Servestanum adii, cuius gymnasii rectori Ferdinando Seelmann etiam mortuo summam habeo gratiam. Vere anni MCMVII maturitatis testimonio instructus Ienae duo, deinde octo semestria Halis, quo brevi parentes me secuti sunt, studiis philologicis historicisque operam navavi. Docuerunt me viri doctissimi Cartellieri, Delbrueck, Diehl, Eucken, Goetz, Graef, Hirzel, Keutgen, Lietzmann, Pick, Schrader, Stoy, Thuemmel, Weinel, Wilhelm Ienenses, Achelis, Bechtel, Conrad, Consbruch, Fester, Fries, Goldschmidt, Hasenclever, Heldmann, Ihm †, Kattenbusch, Kern, Krueger, Lindner Loofs, Loening, Menzer, Meumann, Muff †, Niese †, Philippson, Praechter, Robert, v. Ruville, Uphues, Walther, Wissowa Halenses. Philologici proseminarii Ienensis bis, seminarii Halensis trium ordinum ter senos menses sodalis fui moderantibus illud Diehl et Goetz, hoc Consbruch, Ihm, Kern, Praechter; ut interessem exercitationibus historicis Fester, Heldmann, Lindner, Keutgen, Mentz, Niese, archaeologicis Graef, numismaticis Pick, philosophicis Menzer, paedagogicis Fries permiserunt.

Praeceptoribus meis cum omnibus tum Carolo Praechter, quo auctore et adiutore haec dissertatio conscripta est, gratias ago quam maximas gratumque animum semper servabo.